



XIV. $10^b = 0.$

(coll. 4, 22 - 33^b)


2
2
3,
4,
5,
6,



Zusatz:

- 1) Leges pro convictoribus mensarum commun.
in collegio Paulino. Lips. 1731.
2. [Sartorius, Balt.], Narratio actionis solennis in conv.
theol. cum fierent bacularii. Lips. 1668.
- 2^a [Sxenschmidt, Joh.] Carmen de dignitate studii theol. 1567
3. Nomina sociorum qui collegio concionatorio majori
ab a. 1624 ad a. 1724 interfuerunt. Lips. 1725.
4. Hommel, C. Ferd., Oratio de ordinariis facult. jurid.
1763. Lips. 1767.
5. Das Mü.-Juu-Köring zu Leipzig. 1768.
6. Das Lindnauerische Kaffee bei Leipzig. Ein Cul-
turgedicht in einer Gespräch. s. B. 1777.

[Handwritten flourish]



1720. 2. 17. 20
NARRATIO

ACTIONIS SOLENNIS IN CONVENTU THEOLOGICO VNIVERSITATIS SCHOLASTICÆ Lipsicæ, cum consuetudine antiqua fierent Bacularij in studio Theologico: Expositis simul ijs, quæ tunc pronuntiata recitataq; fuerunt.



*Ant. Schlegel
1779*

L I P S I Æ

EXPRIMEBAT IOHANNES
RHAMBA

M. D. LXVIII.

High Acad. Schol. et Societ. litt. 420.


Don. 1779.

4, 26.

4, 26.



N
V
E
G
à
S



O
n
a
v
u
d

MAGNIFICO

VIRO NOBILITATE,

ERVDITIONE, DIGNITATE

& virtute Amplissimo D. Damiano

à Sibottendorff, Illustriss. Electoris

Saxonie Consiliario, & publici in

Sacro Rom. imperio ararij præ-

fecto, Domino & Patrono

suo summa obseruantia

& fide colendo,

S. D.



VAE sunt, cum in cæte-
ris disciplinis, tum ma-
ximè in litterarum stu-
dijs, pestes præcipuæ,
Ignauia & Arrogantia.
Vtraq; enim multipli-
cis inscitie, absurdarum
opinionum, & perniciosorum errorum
mater & nutrix, veritati quæ in omnibus
artibus est proposita, & summum atque
vnicum huius miserabilis vitæ præfidi-
um, inimicissima est. Nam cum vera tam
diuinæ quam humanæ sapiëntiæ ratio, quæ
A 2 latissi-

EPISTOLA

latissimè multorum monumentis comprehensa patet, in amplissima & verborum & rerum varietate consistat: cognitio illorum non tantum summam in auscultando diligentiam, atq; operam in legendo impensissimè datam, sed & assiduam in meditando intentionem, & creberrimum in tractando usum videtur desiderare.

Hæc enim nisi adhibeantur, veritas per se quidem in librorum voluminibus illustris & lucida, ceu nebularum tegumentis abstrusa & inuoluta latebit, nec plus de ea cernerur, quàm de lucis meridianæ claritate percipitur ab ijs, qui oculis arctissimè clausis, solis splendorem aspiciere conantur. Quam longissimè itaq; à cognoscenda & eruenda doctrinarum veritate ignauiam abesse oportet, quæ non tantum ad obscura & remota mentis perspicacitati omnem prohibet aditum, Sed etiam adimit conspectum eorum, quæ per se conspicua sunt, & luci splendidissimæ exposita. Socraticum est: ὅτι φύσις μαθηματικὴ ὀφείλει εἶναι δριμύτια, μνήμων, καὶ φιλόπονος. Horum nihil ibi quicquam inuenire licebit, vbi inertiae atque socordiae relinquitur locus. Quæ enim acies ingenij, qui vigor memoriæ, quæ vires de-

DEDICATORIA.

res deniq; laboribus perferendis idoneæ poterunt esse in homine pigriciæ & somnolentiæ squalore obfuso ac ferme emortuo?

*Cernis ut ignavum corrumpant ocia corpus,
Ut vicium capiant ni moveantur aquæ.*

inquit Poëta, vel suo comprobans exemplo, mentis acumen socordia obtundi, & robur corporis ocio ac ignavia eneruari atq; frangi. Est igitur virulentissimum venenum litteris ignavia, quàm longissimè fugienda omnibus, quibus curæ est veritatis & litterarum amor. Sed multo est virus pestilentius arrogantia. Hæc enim stolidos & prorsus amentes reddit homines. τὸ γὰρ ἀλάζον ἀνόητόν ἐστι καὶ πᾶς ὁ μὴ φρονῶν ἀλαζονείᾳ καὶ ψόγοις ἀλίσκεται.

Quid autem est amentia nisi cæcitas quædam mentis? τυφλὸν τι τὸ ἀνόητον εἶναι μοι δοκεῖ, & vere, & graviter pronunciat Menander inter Comædos facilè princeps. Sed in eiusmodi mentis cæcitate quæ veri cogitatio suscipi, quæ cognitio comparari potest? Cum certa incertis, vera falsis confusa, nullam, qua seiungantur, diuersitatis formam habet. Ut enim in tenebris albi & nigri, ita in mentis caligine veri & falsi discretio nulla est. Om-

nium igitur perniciosissima est pestis ἀλαζονεία, eoq̄ perniciosior, quò latius eam grassari experimur. Omnes enim natura cum simus nostri amantes paucos videre est, qui si aliquam aliquarum artium noticiam sibi compararunt humiliter de se, suisq̄ rebus sentire, alijs se subijcere, præceptorum iudicia reuerenter audire, & humanitatis beneuolentiam mutuamq̄ studiorum communicationem tueri velint. Maximam partem inani quadam eruditionis persuasionem cernes inflatam, quæ præ amore & admiratione sui, supercilia attollere omnibus se antepondere, alios aspernari, petulanter exagitare, de quacunq̄ re iudicium facere, sua prædicare, aliorum dictis & factis obloquendo detrahare consuevit. Quæq̄ etiam se in nullo vnquam precio futuram existimat, si præceptorem agnosceret ullum. Itaq̄ vel contemnendo, vel aduersando, vel oppugnando sperat se fidem facturam alijs, sibi præceptoris opera nunquam opus fuisse. Ac qui ita affecti sunt, non patiuntur ulla in re se admoneri, admonentibus statim ostendunt iram sibi in naribus sedere, illisq̄ multo acerbiores sunt ac inimicissimis. Atq̄ cum arrogantia, de qua tam multa verba facimus,

mus,

DEDICATORIA.

mus, vitio (qua quidem mentione non unum quempiam præ cæteris perstringendum duximus, sed cum præceptoribus conqueri, & sentire, quod non tantum eorum verba, sed & res ipsa nos doceat, eadem volumus) coniuncta fere est dementia, & cum hac audacia. Οὐκ ἐστὶ γὰρ ἀνοίας οὐδὲν τολμηρότερον. Hac autem armati, nō verentur munerum publicorum vel functiones vel commoda ad se trahere, quæ adepti & autoritate, vel etiam potestate muneris publici instructi, ingentem sæpe rerum communium stragem edere solent. Nisi enim omnia & diuina & humana suæ subiecta videant voluntati, quiescere tales haud fere consueverunt, priusquam omnes omnium conditionum ordines status & religionem turbent atq; confundant. Ac hoc cū maximè agant, vt turbarum sint autores, laudem tamen quietis, æquitatis & pietatis sibi præ cæteris tribuunt, & tribui volunt.

In eiusmodi autem malis, quæ proprios esse foetus arrogantis animi nec negabit quisquam nec in alicuius præcipuè ignominiam recitata existimabit, quod esse potest veritatis studium? Non minus ea dilaniata ab isto perimitur ac cor-

pus Hippolyti à mōstris Neptuni discerptum legitur. Non est igitur vlla horribilior pestis litterarum quam ἀλαζονεία, quæ veritatem omnium artium ac doctrinarum finem, adeo misere discerptam perdit funditus.

Sed vt malorum omnium aliqua, quibus vel leuentur, vel curentur, sagacitas mentis humanæ repperit remedia: Ita & his pestibus atrocissimis, sapientes & industrii viri qui cum rei litterariæ, tum Ecclesijs & Rebuspub. optimè consultum voluerunt, antidota quædam inuenerūt. Quæ quidem sunt examina accurata, & honorum tituli in scholis eo consilio instituta, vt somnolentia & ignauia discen-
tibus excuteretur, & simul vana alicuius scientiæ persuasio detraheretur. Examina enim discendi diligentiam & curam augent, & animos ad cognoscēda ea, quæ traduntur alacriores reddunt, quod cuique bona indole prædito metum afferat pudor, ne quid ignorare videatur eorum quæ scire debebat. Nec tantum sunt quasi stimuli vigilantia, sed etiam cotis loco ingenio, quod acuunt sedula in rem præsentem intentione, & eorum, quæ percepta sunt, considerandi & recordandi sollicitudine. Inprimis autem censura, quæ
agitur

agitur de studijs multum facit ad eximē-
dam falsissimam singularis eruditionis
opinionem. Submittentes enim se exa-
mini statim tenuitatem suam sentiunt,
errata agnoscūt, & placidis aliorum mo-
nitis ad eam animi moderationem du-
cuntur, vt se, suaq; redargui ac emendari
non molestè ferant.

Sed cum forsitan alij præpostero pu-
dore, alij libertatis amore adducti, exa-
mina minus subirent, ad ea, visum fuit
sapientissimæ vetustati certis & præcla-
ris quibusdam honorum titulis ac gradi-
bus plurimos allicere atq; inuitare. Qui
quidem, etsi ab indoctis & fastidiosis de-
risui & ludibrio habentur, apud eruditos
tamen, & sanos omnibus temporibus in
magna fuerunt æstimatione, qui intelli-
gebant examina ac dignitatum gradus &
Ecclesiæ & Reipub. utiles esse ac necessa-
rios. Quare & summa diligentia ac fide
retinentur à Doctissimis & Clarissimis
viris, qui ad studiorum gubernacula se-
dent, & curam scholasticarum congrega-
tionum sustinent. Hi ne deesse videan-
tur laboris & industriæ præmia, virtu-
tisq; ac pietatis ornamenta, illustri qua-
dam atq; solenni renunciatione declara-
re scholasticarum vniuersitatum institu-

to, solere publice testimonia de ijs quorum ingenia, mores & eruditionem fatis habent explorata. Quæ quidem cum semper cõiuncta sint, cum aliqua doctrinæ parte publicè recitata, precium est opere, illa in lucem edita cum multis communicari, cum vt fides & sollicitudo præceptorum, fatis ante perspecta, magis commēdetur, tum vt in alijs studium diligentia excitata augeatur, & laborum tolerantia exemplo confirmetur.

Quo quidem consilio, cum de præceptorum sententia, & ea viderentur publicanda, quæ nuper proposita ac recitata sunt in celeberrima Academia Lipsensi, cum à Reuerendo & Sanctissimo Theologorum collegio primus in eius professione gradus decerneretur mihi, cum quatuor Doctissimis ac Humanissimis Viris artium Magistris, non dubitavi eius editionem, Magnifice & Nobilissime Vir, compellando Amplitudinem tuam ornare, ac sub illius nomine in publicum emittere: cum, quod summa perpetuæ benevolentia studia, atq; officia Amplitudinis tuæ in Inclytam illam Academiam, in cuius numero aliquando ea esse voluit, consent: tum quod me puerum in cœtu Symphonico Illustris. ac Fortis. Du-

DEDICATORIA.

tifs. Ducis & Herois Saxoniae Mauritij, felicissimae memoriae, singulari amore complexa, summis beneficijs vsq; in hunc diem sit profecuta, tum in gratia Illustris: ac Clementis: Domini & Electoris nostri ponendo, tum quacunq; in re iuuando: Quorum omnium *μνημόσυνον* hoc quaecunq; studiosum certe iliud, nec vt spero, Amplitud. tuae ingratum, extare volui, cum significatione animi promississimi quibuscunq; in rebus ei inseruendi. Dominus noster IESVS CHRISTVS, in tranquillo Ecclesiae & Reipub. statu & augusta Illustris: Electoris nostri gubernatione Amplitud: tuam domumq; eius nobilem perpetuo saluam conseruet & tueatur. E Iudo Il-

lustris. Portensi VII. Idus
Octobris, Anno

M. D. LXVII.

Amplitudinis tuae

Obseruantissimus

Baltasar Sartorius
M.

4.26

ACTIO PRO MOTIONIS.

Primum productis, publice huius rei gratia indicto conuentu, titulo Baccularij ornandis: Senior in collegio Theologico ita est locutus:

R Euerende Vir, Spectabilis Domine facultatis Theologicae Decane: Quod Apostolus Paulus Timotheo suo precipit dicens: Quae audisti à me per testes multos, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere: Id cum ad omnes quibus Ecclesiae Christianae administratio commissa est, pertineat: Iam diligentia nostra & labore (qui non inutiliter susceptus est in Domino) producantur, qui ad veritatis caelestis doctrinam certius cognoscendam & studiosius tractandam promoti publica autoritate, procedere debeant: Numero hi quinq³, optimarum disciplinarum & artium, secundum statuta nostra, Magistri. Quibus operarij in vinea Domini (quae est Ecclesia Iesu Christi) & Messae (cuius Deus aeternus Dominus est) deinceps augeantur. Peto igitur abs tua dignitate, ut de his collegij Theologici iudicium, coram hoc honestissimo & ornatissimo consessu declarare, & de communi sententia locum ipsis decretum assignare, & honoris meriti titulum, renuntiatione solenni, attribuere velis: Quod

Quod ad Ecclesia Iesu Christi incrementum per-
tineat, & per ipsorum religiosum ac pium studium
ad communem utilitatem harum regionum pro-
pagetur, ante omnia Laudi seruiens Dei aeterni &
celebrans gloriam Sanctissimi Nominis ipsius:
Cuius unius, solius, veri Dei: Patris Domini &
saluatoris nostri Iesu Christi, una cum hoc & san-
cto Spiritu, est regnum & potentia & gloria in sa-
cula seculorum, Amen.

Ad hæc tunc fuit responsum
hoc modo:

R Euerende & Clarissime Vir, pietate, virtu-
te & dignitate excellens: Tue dignitatis iu-
ste postulationi, libenter & studiose, sicut par est,
sum obsecuturus: Vbi prius singuli (qui hodierno
die mea renuntiatione honoribus augendi, & pro
quibus verba abs tua dignitate facta sunt) iura-
ti, more Maiorum, promiserint ea, quæ verbis cõ-
ceptis prelegantur, & deinde in hoc amplissimo
conuentu ipsi quoq; auditi fuerint.

FORMA PROMIS- SIONIS.

E GO N. iuro me sacram verbi doctri-
nam pure & fideliter secuturum, &
statuta facultatis pro viribus seruatu-
rum, Decanumq; & maiores meos debi-
ta reuerentia prosequuturum esse. Sic
me De-

me Deus adiuuet per Sacrosanctum Eu-
angelium suum. Promitto insuper coram
hac schola sancta fide, me gradum hunc
in alia nulla Academia esse repetiturum.

Nunc igitur tu cuius locus primus est, vene-
rande opt. artium Magister Laurenti Ru-
lichie, tuum Pensum absoluito, & perfungitor mu-
nere mandato. Atq; ita deinceps ceteri, suo quis-
que loco, & iam ipsi, id quod facere iussi fuerunt,
abs se diligenter effici studebunt.

DE INTERPRETATIONE
SACRARVM LITERARVM,
recitata à M. Laurentio
Rulichio.

MAgnifici, Reuerendi, Eximij Viri, dignitate,
pietate, doctrina, prudentia, & humanitate,
prestantes, & uos studiosi adolescentes, qui ad coetum
hunc scholasticum ornandum, & pleniorum reddend-
um frequentes conuenistis, nō tam nobis in publicum
huc productis, quam inclytæ facultati studij Theologi-
ci Doctoribus studium & officium probatis uestrum,
de quo ut polliceor mihi optima: ita uestro fauore ad-
ductus, tuendum atq; augendum id mihi esse existimo.
Quare ea, qua decet & par est, à uobis uniuersis &
singulis reuerentia peto, ut cum in hoc loco aliquid
pronuntiare iubeam, ab eo, quem obseruare & colere
pietas ipsa iubet, & dignitas monet, me dicentem pla-
cidè audiatis, & persuasum habeatis, præstiturum me
ut &

ut & ordine & breuitate sermonis, molestiam audiendi uobis molliam atq; minuam.

Dicturus autem de interpretatione sacrarum literarum, recordor sententiae Paulinae in posteriore capite 3. scripta ad Timotheum filium carissimum, his uerbis: *Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in ipsa iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Praeclara hac sententia Apostolus discipulum a se eruditum confirmare uult, ut non fluctuet, & circumferatur omni uento doctrinae, sed memor eorum quae a puero nouit & didicit, uitet inutiles disputationes, stultas quaestiones, & genealogias, neq; indulgendo cogitationibus profanis animum abducatur a lectione scripturae diuinitus reuelatae, cuius studium & in superiore Epistola capit. 4. diligenter ipsi commendat, & praecipit ut attendat lectioni. Ad hanc autem quia opus est multiplici cognitione linguarum & artium saepe fit ut imperiti harum, in perceptione nativae sententiae lectionis scripturae sacrae turpiter hallucinentur, & quod Proverbio fertur a uero intellectu toto caelo aberrant. Incidentes igitur in syrtes implicati haerent.

Quod periculum ut declinare & uitare discamus, exponam paucis qua ratione uerum & genuinum sensum scripturae inquirendo assequi possimus. Eam autem cum non unam, sed triplicem esse reperiamus, distinctione seruata ordiar a prima, qua uti potissimum solent qui in scholis coelestia dicta interpretantur. Vnde & haec ratio scholasticum interpretandi genus dicitur:



dicitur: quando præcepta Grammatica in contextu
lectionis, & in eo uis uerborum & ὑποτύπωσις ὕ-
γιαίνοντων λόγων obseruatur, sublatis ijs, quæ scru-
pulo torquent, & explicatis quæ dubia & obscura
sunt, uel per similitudines aptas rei, uel per χίμαρα
& tropos, & ostenditur significatio uaria earundem
uocum, quas intelligere docet collatio linguarum, eru-
ditio multiplex, diligens authorum lectio, natura ipsa
rei uerbis expressa, circumstantiæ & totius textus se-
ries. Exempla harum obseruationum referre, ut mo-
lestia non careret, ita mei nunc non est instituti.

Venio igitur ad secundum genus interpretationis
sacrarum literarum quod πεγισατικὸν ac Ecclesiasti-
cum, seu potius Propheticum uel Theologicum appel-
latur, cum ex significationibus uocum seu uerborum
iuxta præcepta Dialectica & Rhetorica consideratis
circumstantijs & personarum & rerum principia ac
Hypotheses sumuntur, ex quibus oratio instituitur
pro captu auditorum, & uerbis mutatis subinde sen-
tentia eadem repetitur, saluo manente sensu eiusdem,
Vnde & παρὰ φρασικὸς λόγος huiusmodi inter-
pretatio nominatur, in quo certamen atq; æmulatio
est circa eosdem sensus ut modo audacius breuiare, mo-
do exornare permittatur, nunc effusos substringere,
nunc omissos supplere. In quo genere necessaria dili-
gentia requiritur, cum scriptura non sit unius populi,
aut temporis, aut regionis, sed propter admonitionem
nostri, in quos termini ætatum inciderunt edita, teste
Apostolo 1. Corinth. 10. Attendat igitur interpres
quos habeat auditores, ut prudenter ad ædificationem
Ecclesiæ

Ecclesiae IESV CHRISTI scripta in monumen-
tis Prophetis & Apostolicis tractet atq; elaboret.

Tertium genus interpretandi literas sacras ex
duobus praecedentibus oritur, & propterea mixtum
dicitur, seu ut alij uolunt ἑλεγκτικὸν, quo utuntur
docentes in comparatione locorum inter se contrario-
rum. Unde alij σύγκρισιν uocant, quia collatis inter
se contrarijs locis personarum & rerum auditori oc-
casio datur crescendi in fide & bonis operibus. Ut au-
tem hoc genus iucundissimum & usu ceteris praestan-
tissimum est: ita absq; istis nec intelligi, nec dijudicari
dextrè potest. Quare interpreti sacrorum librorum
curae sit, si, ut dici solet, oleum & operam perdere nō
uelit, ut locos scripturae quam plurimos cognitos &
memoria infixos habeat, quibus diuina oracula colla-
tione mutua explicet. Haec enim ratio ut difficilima:
ita certissima est, cuius exempla addere tempus quod
sequentibus παρὰ σάτωσιν uiris uenerabilibus ac eru-
ditis ad dicendum praefinitum est, non patitur.

Itaq; reuerende uir Doctor & Decane commu-
nitatis studij Theologici, promotor, summa obseruan-
tia colende, peto, ut pro tua auctoritate de dictis à me
iudicium feras, & in ijs, quae desiderantur, pro tua e-
ruditione emendes atq; corrigas. Erit hoc mihi ma-
iorem in modum gratum.

ENARRATIO ARGUMENTI
IN EPISTOLAM PAULI AD ROMA-
nos. Recitata à M. Baltassare Sar-
torio, docente in illustris. lu-
do Porta Duringicae.

B

Vt con=

4.26

VT consuetudini, ac legibus scholasticis & a me
satisfiat, Reuerenda atq; spectatissima dignita-
te, eruditione & pietate, Clarissime D. Doctor, De-
cane & Praeceptor obseruande, hoc quicquid mihi im-
ponitur muneris, ea qua poterit fieri breuitate uerbo-
rum, expediam, cum ut uoluntati spectatissimae tuae di-
gnitatis morem geram, tum ut incredibilem celeberrimi
huius Magnifici, spectatissimorum & clarissimo-
rum uirorum, & studiosissimae iuuentutis, confessus, in
me beneuolentiam tuear, multis ante comprobatae,
nunc uero nouo quodam beneficio & auctam, et quam
maxime confirmatam. Hanc enim tanti facio, quanti
id quo nihil carius, nihilq; antiquius est faciendum.
Eaq; uicissim quibuscunq; studijs, officijs, opera, fide,
& obseruantia poterit, a me perpetuo coletur. Atq;
hunc animum cum habeam, quem uere habeo, non ini-
tio curiose mihi reddendam esse rationem existimo, cur
hospes ac peregrinus me in hoc praeclearo actu Reue-
rendis & Doctissimis uiris adiunxerim, quotidie &
studiosae iuuentuti, & D. D. Praeceptoribus suae do-
ctrinae eruditionem probantibus. Quis enim mentis
compos, in hac tanta & opinionum uarietate, & in-
geniorum peruersitate, omnia undiq; turbantium, non
appeteret? se non tantum in studijs suis confirmari,
sed & quam coniunctissimus esse, ac (ut Apostoli uer-
bis utar) κατηχησῶμεν ἐν τῷ αὐτῷ νοί καὶ τῇ
αὐτῇ γνώμῃ cum eiusmodi collegio, cuius incustodi-
endo uerbi diuini puritatem, diligentia, in propagan-
do cura, in confitendo perseverantia, in propugnando
fides & constantia est summa. οὐ φρονεῖ, ἀλλὰ ὑπὸ
πῶς φροῖ

πρὸ φρονεῖ, quicumq; Præceptorum iudicia de se uel
temere negligere, uel arroganter fastidire consuevit.
Nam in omni disciplinarum genere uerissimum est id,
quod dicitur:

πλὴν σοφίης σοφὸς ἰθαῦται τέχνας δ' ὁμότεχνος
οὐ χωρεῖ μέγαν δ' ἰδ' ἀχλὺν ἀδ' ἰδ' ἀκτος ἀκ' εἶρη.

Sed his omiſſis mandata exequi properabimus. Dicen-
dum est autem de Epistola Pauli ad Romanos, quæ
Reuerendo & Clarissimo D. Præceptore Philippo,
piæ memoriæ, teste, Methodus est eius doctrinæ, quæ
Ecclesiæ est propria, principales materias accuratè
proponens, beneficia Mediatoris, discrimen Legis &
Euangelij, discrimen iusticiæ fidei, & operum, doctri-
nam de uera Ecclesia, & ueris cultibus. Hæc quidem,
quibus nec grauius, nec utilius, nec magis necessarium
est quicquam, cum in hoc libro comprehendatur sum-
mo uerborum splendore, & sententiarum grauitate
enarrata, longe inferiorem me uiribus agnosco, quam
ut pondera uerborum, & magnitudinem rerum in o-
mnibus assequi, & luculenta oratione explicando ea
illustrare queam. Quin & ipsum me deficeret tempus
prius, quam percurrere quamuis harum partium do-
ctrinam breuissimè attingerem. Quare argumentum
tantum seu scopum animis & oculis auditorum, qua
fieri poterit, & breuitate, & perspicuitate, propo-
nendum putauimus, ita tamen ut partes principales,
quò doctrina explicatior, & series illustrior fiat, a
nobis notentur. His enim rectè perceptis, quod remo-
rari attentum lectorem possit, non erit. Qua de re &
prudenter, & grauiter Clarissimus D. Præceptor,

426



Reuerendum & Ornatissimum uirum Doctorem Io-
nam Theologum monuit his uersibus, quos subijcere
libuit, ut studiosa iuuentus autoritate tanti uiri mota,
magis, ubi perspectam haberet huius Epistolæ sum-
mam, & partium seriem, operam daret lectioni Pau-
li, quam longis Commentariorum enarrationibus diu
inhereret. Sic autem illi uersus se habent:

Visa obscura prius multis oratio Pauli est,
Omnis ubi series vnus aceruus erat.

Singula sed postquam sunt ordine membra retexta,
Dispositæ clarum res modo lumen habent.

Commendatus erit tibi, IONA diserte, libellus
Est breue, sed magni grande laboris, opus.

Vt autem argumentum eius inueniatur, inquirendum
est potissimum genus causse, ut à Rhetoribus dicitur,
ad quod sit referenda. Hoc enim inuento facilis & erit
cognitio argumenti. Potest autem illa commodissime
includi generi Didascalico. Docet enim quæ & qualis
sit ueræ & salutaris ad Deum conuersionis ratio, qua
gratiam misericordie diuinæ homo consecutus, Dei
dignatur amore, & iusticia atq; uita ornatur sempi-
terna. Hæc quidem summa sapientia, prorsus ignota
iudicio sapientie humanæ, reconciliandi cum æterno
Deo, & ex diuitijs inexhaustæ eius bonitatis accipien-
di uitam & salutem sine fine duraturam, omnibus nu-
meris absoluta, traditur in hoc breuissimo libello, ea
perspicuitate, ut nihil obscurum esse possit, accurate
ordinem & phrasas consideranti. Cum autem nemo
sit mentis suæ saltem compos, qui non gratiam Numi-
nis diuini sibi expetendam, salutemq; animi & cor-
poris curandam statuatur, cuius etiam monente nemi-
ne, obui-

ne, obuium est, quanto in precio & aestimatione hic libellus haberi, quanta cura & diligentia euolui debeat, ut assiduitate lectionis, meditationis, & tractationis omnium, familiarissimus reddatur. Optimus ergo quisq; hanc Epistolam Pauli non intermittet nocturna uersare manu, uersare diurna. Sed ut reuertamur ad id quod instituti est nostri. Explicat hæc Epistola salutarem ad Deum hominis conuersionem, docendo: Omnes peccasse, & destitui gloria Dei: Iustificari autem gratis per gratiam Dei, per redemptionem quæ est in CHRISTO IESU, quem proposuit Deus ἰλασθῆναι per fidem in sanguine eius: Iustificatos uero præbere cultum rationalem Deo, uidelicet corpora sua, hostiam uiuam, sanctam & acceptam Deo, & transformari per renouationem mentis, ut probent, quæ sit uoluntas Dei, bona, accepta, & perfecta. Hæc est unica, certa, & immota uia conuertendi se ad Deum, extructa supra fundamentum omnium Prophetarum & Apostolorum, confirmata testimonijs diuinis, & comprobata euentu, recte agnoscenda, & constantissime sequenda omnibus, quos sempiternæ salutis tangit cura, quæ uniuersos quidem maxime tangere debebat. Extra hanc uiam, aut inuia, aut deuia sunt omnia, quæcunq; suscipiuntur Deum adeundi itinera. Sit itaq; hæc semita uitæ dux omnibus notissima. Cum autem in ea uidere liceat, conuersionem ad Deum desiderare imprimis peccatorum nostrorum, quibus poenas & presentes, & æternas meriti sumus, cognitionem, deinde certam fiduciam gratiæ diuinæ, per redemptionem, effuso sanguine IESU CHRISTI propi-

ciatoris factam, fide apprehendendæ, ac deniq; uitæ
nouitatem conformem uoluntati diuinæ: Manifestum
est recte doceri, tres esse conuersionis ad Deum, quam
usitatæ & pœnitentiam uocant, partes. Oportet enim
in omni motu terminum esse à quo, ad quem, & postea
necessariò causam à suo effectu distingui. Hæ autem
partes uulgò dicuntur, Contritio, Fides, & Noua o=
bedientia. Iuxta illas commodissimè in partes distri=
bui potest, & hæc Diui Pauli Epistola, ita ut si cuiq;
rectè sua attribuantur capita, multum lucis eius acce=
dat lectioni. Ad primam igitur eius partem referan=
tur tria priora capita, in quibus peccati, iræ diuinæ,
& æternæ damnationis reum peragit, uniuersum ge=
nus hominum, distinctum in τριτομῶν seu Iudæos,
γένθ ἐκλεκτῶν βασιλείου ἰσραήλ, ἔθνθ
ἁγίων, & ἀκροβυσίαν, id est, Gentes, ἀπὸ τῶν
ωμῶν τῆς πολιτείας τῆς ἰσραήλ καὶ ξένων τῶν
διαθικῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντα,
καὶ ἀθέσθ ἐρκόσθ. Ac gentes quidem conuincit
peccatis & iræ Dei obnoxias esse, in primo capite,
sumptis argumentis ab uniuersali experientia, & à
pœnis. Iudæos autem in secundo per enumerationem
uariarum transgressionum legis. Utrosq; autem in
unam quasi sentinam abijciens exæquat in tertio, au=
toritate sacrarum literarum omnibus detrahens fidu=
ciam meritorum, iusticiæ & dignitatis suæ, in con=
spectu iudicij diuini, ut obturetur omne os, & obno=
xius fiat totus mundus Deo: Et ex operibus legis non
iustificetur omnis caro. Omnes enim peccauerunt, &
destituuntur gloria Dei. Atq; hæc est illa prima pars
concionis

concionis poenitentiae, plena crebris obiectionibus, & anticipationibus, usurpata in principio concionum ab omnibus Prophetis, & ab ipso Filio Dei, non tantum post assumptam carnem, sed longe antè, cum primos parentes accusaret de uiolatione mandati diuini, & tristissima defectione à Deo, ad cuius imaginem conditi, & à quo summis beneficijs ornati erant. Nos quidem & hac Apostoli uoce omnibus temporibus terreri oportere existimabimus: Reuelatur ira Dei de caelo, super omnem impietatem & iniusticiam hominum, detinentium Dei ueritatem in iniusticia, ut agnoscentes cor nostrum ærumnosum & peruersum ad Filium Dei confugere discamus. Nunquam enim poenitentiae studium à religiosis abesse debet.

Consequens autem est, ut de altera conuersionis parte dicatur, quæ principalis est omnium, eripiens ex doloribus conscientiae, mortis & inferorum, afferens uitam, & producens fructus poenitentiae dignos, & Deo gratissimos. Ideoq; & plurima huius Epistolae capita sibi uendicat. Est autem Fides, quæ à fine capituli tertij, usq; ad duodecimum pertractatur. Nam in fine capituli tertij demonstratur à Paulo, quid fieri debeat ab eo, qui conspectu suorum peccatorum, & metu iræ & iudicij diuini dolere & excruciarī incepit. Hunc iubet apprehendere gratiam Dei, per redemptionem sanguine Filij Dei factam, & per uerbum nobis oblatam, fide, & hac fide niti sola & unica Dei misericordia, non meritorum suorum fiducia, & omnia quaecunq; sunt intra se prosternere, & à gratuita solius Dei misericordia pendere. Hæc docet A-

4.26

postolico spiritu, qui idem est & Prophetarum, dicens:
δινοούμεθα δ' ὡς ἔαρ τοῦ θεοῦ χάρις, διὰ τῆς ἀπο-
λυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ὅν προέθετο ὁ θε-
ὸς ἰλασῆριον, διὰ τῆς πίστεως, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι.
Vbi quidem complectitur eruditiss. causas iustificatio-
nis hominis, ex quibus ratio facile à quouis miri po-
test, cur tantum bonum tribuat fidei, cur hominem so-
la fide, sine operibus legis iustificari pronunciet, &
fides præcipua pars conuersionis ad Deum constitua-
tur. Sed rapimur tempore ad sequentia. Hanc igitur
doctrinam de Fide iustificante, ne quis dubiam aut in-
solentem putet, confirmat in sequenti capite, quinque
argumentis, uidelicet ab exemplo Abrahamæ, ex ui uer-
bi **I M P V T A N D I**, à definitione Iustificationis,
ab ordine causarum ac effectuum, Ac denique à certi-
tudine promissionum. Hinc ut huius fidei dignitas
conspiciatur, in quinto plurimos eius effectus subiicit,
& postea confutat omnia quæ illam oppugnare ui-
debantur. Ex quibus primum est Legis Iusticia, ubi
quidem non tantum legis usum docet, sed & causam
peccati, & gratiæ explicat & illustrat. Alterum est
Epicureus contemptus Dei, quem diluit sexto capite,
exponendo causas grauissimas pietatis in Deum &
iusticiæ in homines, sumt à similitudine à Baptismo, &
à surculis. Tertium, reliquæ peccatorum in carne
herentes, quibus in septimo occurrit, demonstrando
diuitias gratiæ in Christo Iesu longe exuberantes pec-
catum. Deniq; concutitur Fides uariarum calamita-
tum concursu & grauissimis persecutionum procellis.
Quare longam congeriem iucundissimarum consola-
tionum

tionum connectit in capite octauo. Hinc progreditur ad causam efficientem Fidei, quæ non comparatur uiribus humanis, sed efficitur à Spiritu sancto per uerbum Dei operante, Fides ex auditu, Auditus autem per Verbum Dei, per quod & colligit sibi Deus æternam Ecclesiam ex genere humano. Eo itaq; in loco docet, quæ illa sit Ecclesia, qui in illa sint electi, qui reprobri. Atq; ita in hac grauissima disputatione postrema tria capita, quæ fidei sunt, consumuntur. Et nos itaq; promissionem gratiæ fide apprehendamus, certi nos per eam solam Deo reconciliari, & æternæ salutis hæredes effici. Restat ultima Pœnitentiæ pars Noua obedientia, quæ & ipsa est fidei effectus. Est autem illa præbere cultum rationalem Deo, uidelicet, Corpus suum hostiam uiuam, sanctam & gratam, quod est, cultum præstare Deo spirituales rectè eum agnoscendo, firma assensione eius doctrinam amplectendo, conformitate affectuum omniumq; membrorum officio iusticiæ illius inseruiendo. Huius partis doctrina traditur in duodecimo usq; ad decimum sextum, quod salutationibus est destinatum. Obseruat autem in distinctione præceptorum usitatos uitæ ordines, Nam in duodecimo Ethica, in decimo tertio Politica, in decimo quarto & quinto Ecclesiastica, seu ceremonialia præcipit. Quæ quidem & nos si fide seruauerimus *εὐαγγέλιος τῷ θεῷ καὶ οἰκίμης τοῖς ἀνθρώποις*, nos futuros omni remota dubitatione statuamus. Atq; hæc *περὶ ὑποθέσεως καὶ οἰκονομίας* Epistolæ Pauli dicta satis sint, quibus quidem ne uel tempore, uel beneuolentia huius ornatissimi audi-

426

torij abutamur, adijciemus Colophonis loco uersiculos
pulcerrimos nobilissimi Poetae nostrae aetatis D. Stige-
lij poenitentiae concionem complectentes.

Discite iusticiam atq; erroris linquite morem,
Præsentemq; humili mente timete Deum,
En venit cælo mortis destructor & Orci
Supplice qui toties voce petitus adest.
Ille sua veluti patiens qui cæditur agnus,
Deleuit vestrum uictima morte scelus.
Excipite hunc animis, & tota agnoscite mente,
Et donum hoc firma dulce fouete fide.

*Hæc quidem αὐτοχέδνως à me dicta si specta-
tiß. dignitatis D. Decanus copiosius explicarit, res fi-
et & mihi & celeberrimo huic auditorio omnium
gratisima.*

DE COELESTI OMNIUM
THEOLOGORVM VOCATIONE, ET
quibus signis aliquis deprehendat, se ad
studium sacrae scripturae diuinitus voca-
tum esse: Pronuntiata à Reuerendo
V. bonarum artium M.
Georgio Cobero.

QUOD Magnifice, Clarissimi, Doctiß. ac
prudentiß. Viri, & studiosi adolescentes,
mihi à spectabili facultatis Theologicae Decano, Do-
ctore & Promotore nostro perpetua obseruantia co-
lendo, est impositum, id pro uiribus fideliter & bre-
uiter conabor exequi; Magnificentiam, excellenti-
am prua

am, prudentiam ac humanitatem uestram reuerenter
orans, ut mihi de hac utili & pia materia aliquid in
medium proferenti, benignas aures præbere digne-
mini.

Principio sciendum est ministerium uerbi diuini
ideo à Deo institutum, ac ideo nunc & deinceps ser-
uatum seruandumq; esse, ut homines de essentia & uo-
luntate Dei per id doceantur. Hæc enim est DEI uo-
luntas, ut omnes ad agnitionem ipsius perueniant,
eumq; timeant, & in omnem æternitatem celebrent ac
laudent. Ac satisfacissent uoluntati diuinæ homines, si
Adam primus homo non fuisset lapsus: nihilo minus
tamen receptis primis parentibus à Deo in gratiam,
uult Deus ut per ministerium, seu predicationem Eu-
angelij ad ueram sui cognitionem, & celebrationem
ducantur, iuxta illud: Laudate Dominum omnes gen-
tes, laudate eum omnes populi. Item Psalm. 34. Bene-
dicam Domino omni tempore, laus eius semper in ore
meo. Sit igitur hic principalis diuinitus instituti &
seruati ministerij finis omnibus notus, per illud, ad
ueri Dei, & Domini nostri Iesu Christi agnitionem
nos deduci, sicut & Christus docet, inquiens: Qui
uos audit, me audit. Sed homines peccato originali
corrupti, in magna securitate uiuunt, quæruntq; an
per externum ministerium homines conuertantur ad
Deum, & an ab eo sit institutum. Et quanquam exem-
pla Patriarcharum & Prophetarum, adeoq; ipsius
filiij Dei, & Apostolorum, ministerium ab initio mun-
di in Ecclesia fuisse, illudq; contemnentes à Deo graui-
ter punitos esse, ostendunt: Plæriq; tamen quia uident
ministros

ministros uerbi à uulgo contemni, diuinamq; eius institutionem neminem curare, incipiunt uehementer animo cruciari ac angere. Cum igitur hæc ita se habeant, necessarium esse duxi, propter iuuentutem, quæ huc confluit, uocationem omnium in Ecclesia docentium diuinitus fieri, & quemlibet quibusdam signis suam uocationem diuinam esse deprehendere posse, certis testimonijs Scripturæ, & firmis rationibus demonstrare. Ac quod ad primum attinet, nemo non nescit, de Poëtis receptissimam esse opinionem, eos non humana, sed diuina quadam institutione effici, & arcano quodam mentis agitari impetu. Noti enim sunt uersus Homerici Odyss. θ.

πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισι ἐπιχθονίοισι ἀοιδοὶ
τιμῆσ' ἔμμοροι εἰσι καὶ αὐτῶσ' οὐνεκ' ἄρα σφέας
οἶμασ' μῶσ' εἰδ' ἰδ' ἀξε φίλησε ἧ φῦλον ἀοιδῶν.

Itemq; Ouidij hi:

Est Deus in nobis sunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis spiritus ille uenit.

Quod si de Poëtis, qui Gentilium fuerunt Theologi, adeo honorificè sensit antiquitas, quantò iustius nos de religionis nostræ Christianæ, quæ sola perfecta & uera Religio est, probatis Theologis pronunciare licet, Rerum in his sacrarum Θεωγίας existere instinctu diuino, & eos singulari quadam ratione à Deo præ cæteris hominibus deligi instituiq;? Quod quidem ita esse, si rem probè expenderimus, fateri oportet. Quem enim reperies, in sacris literis serio progredi, nisi eum, cuius pectus Deus primum cupiditate cognoscendorum piorum dogmatum accende-

rit?

rit? Non enim certè uel ingenij acumen, uel copia doctrinæ istam facultatem efficit, quam Theologicam appellamus. Neq; in quibusdam hæc ideo non est, quia neq; solertes animo suo, neq; politi oratione aut cætera eruditione præditi sunt: Sed hac potiuntur illi tantum, quos Deo soli sapienti & omnipotenti placuit ad uerbi sui & arcane sapientiæ studium ante alios eligere & uocare. Et hoc sibi uult Apostolus Paulus 1. ad Cor. scribens: Neminem ea, quæ Dei sunt, nosse, nisi Spiritum Dei: Vbi per similitudinem ab hominis spiritu sumptam, Apostolus argumentatur, dicens: Sicut hominem nemo melius cognoscit, & eius arcana ac cogitationes scrutatur, quam spiritus hominis, alij autem hoc non uident: ita & solus spiritus Dei, qui in ipso est, quid in Deo sit, nouit, nos autem non possumus scire, nisi is nobis reuelarit. Hinc quoq; fit, ut spiritus sanctus non raro celebretur, uaria dona hominibus conferens, atq; constituens alios quidem pastores, alios uerò Doctores, alios Prophetas, alios linguarum peritos ad instauracionem sanctorum in opus administrationis, & cum hæc omnia efficiat, tamen non, nisi ubi uult, spirans, & non nisi dona sua certa mensura attribuens. Apud Matthæum & Lucam Euangelistas memorabilis historia legitur, quæ huc optime quadrare uidetur, quomodo quidam scribarum discipulus Iesu Christi fieri ambierit, dicens, Domine sequar te, quocunq; perrexeris, quem tamen Christus non receperit: & quomodo alius econtrario à Christo ipso immediate sit uocatus, quamuis eam rem differre uoluerit, inquiens: Domine permitte mihi, ut
abeam

ab eam prius, & sepeliam patrem meum. Iam si huius
diuersitatis rationem perdiscere cupias, nullam, ut
opinor, meliorem inuenire poteris, nisi eam, quam
D. Augustinus libro de uerbis Domini in Euangelio
Matthæi sermone octauo significat, quod filius Dei
priorem, ob uulpinum eius animum, & detestabilem
arrogantiam, quæ in eo aduertit, inidoneum: alte-
rum uerò ingenio docili & tractabili præditum, ad
pietatem promptum, ideoq; aptum esse censuerit: Hinc
Christus in Matthæo hortatur suos discipulos, atq;
adeò totam Ecclesiam, ut rogent dominum messis,
quandoquidem ea sit copiosa & magna, ut in eam
operarios extrudere uelit. Et in Prophetis conqueri-
tur Deus, quod Pseudoprophetae prædicarint, quos ta-
men non misisset. Caput igitur & status hic est, quod
nemo fiat idoneus ad tractandas res diuinas, siue Apo-
stolus & discipulus Iesu Christi, nisi quem Deus è
multis elegerit ac uocarit, quemq; impartiendo suum
spiritum, teste ipso Paulo Apostolo 2. Corinth. 3. ipse
instruat. Quare quicumq; intellexerit, se diuinitus ad
amplectendam doctrinam cœlestem uocatum esse, is
ad propositum sibi à Deo finem omnes suos conatus,
uigiliasq; conuertat, bonam spem habens se cum laude
& fructu in ea uersaturum esse. Sed quæret aliquis,
quomodo me diuinitus uocatum esse deprehendam? Et-
si perdifficile est quicquam hac in parte de Dei uolun-
tate non reuelata statuere, de eo tamen, quod quæri
posse diximus, & piè cogitari, & rectè differi aliquid
posse existimo. Si enim in ipsa pueritia animaduerti
in unoquoq; solent minimè fallacia eius uitæ generis
& stu

Et studiorum, quæ adultus sectetur, indicia et argu-
menta, quemadmodum de Cyro et Cassio Romano
pueris historiae referunt, non dissentaneum erit, ad
hunc modum uaria signa, quæ studium rerum diuina-
rum atq; cœlestis Philosophiæ amorem certissimè præ-
monstrant, obseruare, atq; ex ijs coniecturam facere,
quid de se ipse sibi quisq; hac in parte, polliceri debeat,
Quosdam igitur conspiciamus pueros magna alacrita-
te scholas et templa adire, summa attentione consi-
derare, quæ ibi prælegantur dicanturq; omnia: do-
mum autem reuersos, lectiones et sacras meditari ac
repetere conciones, Cereemonias religionis nostræ re-
presentare, et fortè Doctoris, aut ministri uerbi in-
ter condiscipulos personam gerere, eos deniq; paren-
tes suos uel præceptores et alios, de præcipuis Chri-
stianæ doctrinæ capitibus uerba facientes, libenter au-
dire, quæ sæpius inculcantur memoriæ commendare,
minus intellecta repeti explicariq; sibi postulare. Sic
Iosue, Naue filius, iuuenis cum esset, non egrediebatur
de testimonij tabernaculo. Et Origenes Adamantius
paruulus, quemadmodum Eusebius refert, non tam
parentum exhortatione, quam propria uoluntate so-
litus est sacra legere, cotidie aliquid memoriter reci-
tare, frequenterq; a patre perplexorum intricato-
rumq; enodationem petere. Iam Timotheus, teste
Apostolo, a teneris, ut dicitur, unguiculis, in literis
religionis institutus, et apud piam matrem Euniceam,
et auiam Loidem, piè sancteq; educatus est. Ipse etiam
Augustinus, sicut de se in primis confessionum libris,
antequam nostræ religionis sacris initiaretur, occulta
et in

Et indeprehensibili quadam vi ad sacrarum librorum
lectionem est inflammatus. Deniq; Athanasius, ut
Eusebius scripsit, puer cum pueris lusitans, Episcopi
munus obire coepit. Et de Phil. Melanch. pie memo-
riae traditur, quod statim in ipso praestantia ingenij
emicuerit, celeriter percipiendo atq; comprehenden-
do quae tradebantur, et fideliter memoriae mandan-
do, liquidoq; exponendo illa omnia, et uoluntas in
aetate puerili ad sacrarum literarum studium mirifi-
ce fuerit propensa. Idem tam pueri quam adolescen-
tes, de quibus nunc loquimur, semper pulchrum du-
cunt optimis et modestissimis se adiungere, et quas
cernunt in his commendari uirtutes, eas generoso ani-
mo exprimere conantur. Sic Samuel cum paruus
adhuc puer esset in Prophetarum numerum coopta-
tus, et uidens uocatus est. Et D. Hieronymus memo-
rat, se bonarum artium elementa imbibentem, admo-
dum fuisse familiarem sui simillimis, hoc est, pijs, et
ad studia Theologica aspirantibus, utpote Bonoso,
Pammachio et Heliodoro, quorum duo posteriores
etiam ad Episcopi dignitatem euecti fuerant. Præte-
rea Augustinus libris modo allegatis asseuerat, se as-
sidue cum illis egisse, qui de rebus diuinis sermones
miscere gauisi erant, quorum praecipui fuerant Ne-
bridius et Alypius, ac eruditi Theologi Elpidius Car-
thaginensis, et Ambrosius Mediolanensis Episcopi.
Et de Domino Martino Luthero pie et sanctae me-
moriam, in uita eius a Domino Matthesio contexta re-
fertur, quod Erphordiae Professoribus lectiones inter-
mittentibus, se aut in Bibliotheca absconderit, aut cum
Præceptoribus sit conuersatus. Ad hæc

Ad hæc elucet omni tempore in illis quædam quæ-
si ingenita grauitas, iuncta admirandæ suauitati,
quam etiam ignoti suscipiunt & reuerentur. Sicut de
Philippo Melanthonè commemoratur, quod etsi docili-
tas in eo, quanta in nullo altero emicaret, & simul
acris animi & mentis sagacis præclariss. signa perspi-
cucè cernerentur, & uis ingenij ingens tunc adeò ap-
pareret: nihilo tamen minus, summa eluxerit suaui-
tas, qua omnium facile fauorem sibi conciliarit, &
declaratum sit, futurum ut uehementior natura ipsius
ad grauitatem, lenitate comitateq; conditam, euade-
ret. Vt autem per ætatem crescit iudicium, sic crescit
quoq; pietatis & honesti amor. Iudicium autem quem-
admodum in quibusdam ætatem anteuertens, ita in
eisdem alios etiam superans pietatis ardor & religio-
nis studium reperitur.

Quæ de Salomone & Daniele legantur sunt
ignota nostrum nemini. Sed cur non eximium propo-
namus exemplum Domini & Saluatoris nostri Iesu
Christi. Nam hic & homo uerus est, cum sit uerus
idem Deus. Et suam excellentiam ab imitatione sui
uersantis in terra, neminem uoluit deterrere. Hic igi-
tur quid? Iudicio scilicet excelluit, qui annos natus
XII. Hierosolymis in celeberrimorum doctorum co-
rona, ita interrogauit illos, & ipse disseruit, ut stupo-
rem incusserit omnibus, nec non æstimandum relique-
rit, quantus postea cœlestis Philosophiæ Doctor in
publicum esset proditurus. Post hæc uerò nonne hi-
storia Euangelica commemorat, profecisse Iesum sapien-
tia atq; gratia apud Deum & homines? Iam præditi
C indole

426



indole Theologica in studiorum curriculo paululum
progressi, sermones sacros tam in templo, quam in
schola, sic excipiunt, sic menti infigunt, intelligere ut
quilibet possit cupere eos, non solum præcepta & do-
ctrinam, sed etiam eos, de quibus audiuerunt, aut quos
ipsi cognouerunt pietate & sanctitate præstantes ho-
mines, uita & moribus exprimere.

Quemadmodum enim (ut Basilij similitudine
utar) qui imaginem ab imagine pingunt, identidem
exemplaria spectantes, illorum lineamenta ad suum
opificij usum transferre student: sic qui studet uirtu-
tibus, elaborat, ut quasi ad simulachra motu & actio-
ne prædita, uitam dico optimorum & doctiss. sæpe
oculos animi conuertat.

Verba Basilij Græca in Epistola ad Gregorium
de uita solitaria sunt hæc: ὡσπερ οἱ ζωγράφοι ὅταν
ἀπὸ εἰκόνων εἰκόνα γράφωσι, πυκνὰ πρὸς τὸ
παράδειγμα βλέποντες, τὸν ἐκείνων χαρακτῆ-
ρα πρὸς τὸ ἑαυτῶν ὡσδ' ἀξιομίετα θῆναι φιλο-
τέχνημα: οὕτω δὲ καὶ τὸν ὡσδ' ἀκότα ἑαυτὸν
ᾧσιν τοῖς μέρεσιν τῆς ἀρετῆς ἀποργάσασθαι τε-
λείον, οἷον εἰ πρὸς ἀγάλματα τινὰ κινδύμενα, καὶ
ἐμπρακτα, τοὺς βίβας τῶν ἀγίων ἀποβλέπειν
ἔστι: καὶ τὸ ἐκείνων ἀγαθὸν, οἰκτιροῦν ποιῆσαι διὰ
μιμήσεως. Huius signi præclarum exemplum ha-
bemus in Apostolo Paulo, qui de seipso prædicat, quod
sit educatus & institutus in scholis Hierosolymitanis,
auditoremq; fuisse, ait sapientissimi Doctores Gama-
lielis, se etiam profecisse præ cæteris æqualibus, se de-
niq; uixisse inculpatum irreprehensibilemq;. Non
dissimu-

disimulant isti insuper, se adfectare, ut de rebus di-
uinis expedite loqui possint: Quinimo interdum ali-
quam significationē dant, sibi in animo esse, ubi ad aeta-
tem iustam peruenerint, munus docendi sacra in tem-
plo obire. Postremo Deus tales quoq; adolescentes,
tum eximijs quibusdam donis, tum externis admini-
culis, illi doctrinae & generi uitae, ad quod Dominus
ipso semel destinauit, necessarijs prospicit, & quod
satis est, suppeditat. Sic adolescentem Origenem, cuius
supra quoq; facta est mentio, locuples ac nobilis mu-
lier, cuius animum Deus permouerat, fuit liberali-
ter, atq; patre & patrimonio orbatum, instituendum
erudiendumq; curauit. Eadem legimus de Erasmo
Roterodamo, quod ipsum orphanum sodales in mo-
nasterio Dauentriensi ad se inuitarint, & spem fece-
runt, se missuros esse eum Lutetiam. In qua Academia
sumptibus quorundam nobilium, qui sibi eum familia-
riter adiunxerant, quosq; erudierat, aliquandiu ma-
gna cum laude uixit. Haud dissimile accidit Philippo
Melanth. qui mortuo tam auo quam patre, matris
propinquorumq; consilio ac uoluntate in studijs pijs
& honestis educatus est. Haec sunt igitur ordinaria
quaedam atq; communia uocationis diuinae signa, (de
singularibus enim & eximijs alijs, modo uerba face-
re non est propositum) ex quibus iudicium de futuro
Theologo fieri potest, quaeq; in illustribus uiris, qui
Theologorum principes euasere, cum adhuc pueri &
adolescentes essent, sunt animaduersa, Quales ij fue-
re tam antiquis quam nostris temporibus, de quibus
supra mentio facta est, in quibus commemorata expe-

426

Stande eruditionis, atq; profectus in doctrina pietatis, alijsq; liberalibus artibus, signa ab ineunte ætate præluxerunt. Hoc igitur unicum restat, ut nos quoque de nostris pueris & adolescentibus, in quibus paria aut eadem signa animaduertuntur, audeamus uaticinari, eos diuinitus ad capessendum studia cœlestis Philosophiæ uocatos esse, uel potius quilibet de sua uocatione, pueritiam suam cum sanctorum uirorum, quos recensuimus, exemplis & uocationibus conferendo statuatur, & secundum ea quæ diximus bonam spem concipiat, se cum fructu Theologiæ operam daturum, magnumq; Ecclesiæ ornamentum allaturum esse: Sed quocunq; ingenio aliqui sint, & quicquid accidere euenireq; sentiatur, nihilo tamen minus euoluendis, reuoluendisq; sacræ scripturæ libris inuigilare conuenit uniuersos. Vult enim Deus omnes homines saluos fieri, & ad ueritatis cognitionem adduci, & interest omnium, præcepta cœlestis Philosophiæ nosse ac intelligere, ut poscentibus fidei suæ rationem, iuxta Petri Apostoli admonitionem, reddere, cumq; seipsos in sancta fide confirmare, tum liberos & domesticos in religionis doctrina instituere, ac excercere facilius queant.

Hæc sunt, spectabilis D. Facultatis Theologiæ Decane, Doctor ac Promotor reuerendissime, quæ de proposita materia, pro angustia temporis huc adferre potui, T. excellentiam reuerenter orans, ut illa boni consulere, & quæ desiderantur, uel minus aptè dicta sunt, addere, & benignè emendare non dedignetur: erit id mihi & toti auditorio gratissimum.

Quæ

QVAE SINT INSTRUMENTA,
QVORVM ADMINICVLO ET
tractatione ad intelligentiam & vsum li-
brorum Propheticoꝝ & Apostolicoꝝ
peruenire possimus. Recitata à Re-
uerendo V. opt. disciplinarum &
artium Magistro Nicolao
Schreningio.

Dicendi partes mihi à Reuerendo, & spectatæ
dignitatis viro, nunc attributæ, non ad inge-
nij cuiusdam, quod in me exiguum esse sentio, ostenta-
tionem, sunt conferendæ: cum hic eruditorum con-
uentus, iuventutis instituendæ, & temporis præfiniti-
ratio, aliud postulare uideantur, & benevolentium
atq; attentorum animorum significatione (quibus
alij iam auditi fuere) non sit abutendum. Neq; ini-
tium dicendi nunc faciam, à dignitate, utilitate aut
necessitate linguarum quæ fores atq; instrumenta sunt
disciplinarum atq; artium, quibus etiam occlusa Pro-
pheticoꝝ atq; Apostolicoꝝ librorum intelligentia
uelut clauē cognitionis fidei aperitur: cū hæc doctrina
alio tempore explicata sit, diserta & copiosa, ut opi-
nor, enarratione, atq; exemplorum applicatione, qua
Ebrææ potiss. sanctæ linguæ usus, præ alijs eximius fu-
it demonstratus. Contrahenda igitur uela sunt, uelut in
amplo mari nauiganti, ne singulorum, qui scripserunt
de Ratione discendi atq; interpretandi sacras literas,
enumerando sententias, longius à rei propositæ expli-
catione, recedere uidear. Omnem autem eruditæ do-

4.26



Trinae rationem, in Verborum & rerum cognitione,
intelligentia & usu consistere, non est dubium, uel ex
hominis ad imaginem DEI creatione, qua eum λόγος
& γέννησις filius DEI, rationis & orationis usu partici-
pem ceteris, quae ἄλογα ζῷα uocantur, praeferi &
praesse iussit, eumque diuina & terrestri parte, anima
scilicet & corpore concinnauit. Et animam quidem
illius, spiritus sancti illustratione, & sacrorum spiri-
tuum qui Angeli nominantur gubernatione & defen-
sione auxit, corpus autem ad Animae gubernatricis
nutum & ductum sequi parereque iussit. Cumque malo-
rum & a Deo deficientium spirituum, qui Diaboli
sunt, conatu & persuasione, atque huic inserviente
humanae uoluntatis contumacia ea quae est Moysi
צֶלֶם הַמַּוֶּדָּה id est similitudo & imago, non qui-
dem illa prorsus abolita & extincta, sed deprauata
& obscurata foret consecutae sunt multiplices poenae,
& calamitates, quibus mendaciorum atque caedis auctor,
Dei atque hominum contentu, illum qui est Ebraeis
אֱלֹהִים וְאֲנוֹשׁ a cultu diuino praestando, cuius
caussa fuit formatus, impediuit & retraxit. Notum
etiam est, ante linguarum confusionem quae facta est
in campis Sennáar, cum edificaretur moles seu turris
illa Babylonica, unius fuisse linguae usum, sicut est una
omnibus rationis & intelligentiae facultas: Sed super-
ba atque temeraria sine uerbo Dei praesumptione incitati
homines, effecerunt, ut confusio quaedam sermonis &
linguarum, Dei omnipotentis atque uindictis executione
existeret. Hinc μέγροπες Homero atque alijs dicti, qui
habent μέμειστο μῦθον τῶν φωνῶν, hoc est, uocem di-
uisam.

uisam, quod distincta nec uniformi, sed tamen articu-
lata uoce & pronuntiatione utantur ad differentiam
aliarum animantium, quæ uniformi uoce sonum quen-
dam suæ speciei natuum atq; conuenientem edere so-
lent.

Dei autem beneficio post hanc confusionem &
diuisionem linguarum in plures, linguæ sanctæ usus
& possessio, (quem diuinum esse $\omega\sigma\phi\omicron\sigma\iota\kappa\omicron\upsilon\tau\omicron\lambda\omicron\gamma\omicron\upsilon\mu$
dubium non est) mansit apud pios, qui successione cer-
ta ad Abraham usq; & eius posteros Israëlitas in ter-
ra promissa Canaan & inter gentes exularunt. Mi-
rabiliter autem efficacitate Spiritus S. post Iesu Chri-
sti Saluatoris nostri in coelum ascensionem, Apostoli
& alij in Ecclesia Christi diuersarum linguarum fa-
cultate fuerunt instructi, ut diuersas gentes, quibus fa-
ciendo præconium Euangelij inseruiebant, diuersitate
linguarum in unitate fidei congregare possent. Non
autem ea, quam initio habuerat primus homo, cogni-
tio & intelligentia mansit in illo, postquam hic a con-
ditore suo Deo æterno defecerat, qui ante sui decepti-
onem, ad similitudinem & imaginem Dei factus, &
 $\delta\upsilon\omicron\upsilon\mu\alpha\tau\tilde{\zeta}\gamma$ & erat omnium, quæ erant in coelo &
in terra. Imo reliqua etiam cognitio, in eodem adhuc
eximia, postea in filijs successione temporis facta fuit
obscurior. Ideo ne totum genus humanum æterna
morte damnaretur, Dei beneficio ex Abraham poste-
ritate, collectio quædam facta est eius cœtus, qui De-
um recte cognosceret, eiq; secundum ipsius uolunta-
tem seruiret, in quo Deus legem & promissiones, quas
primis parentibus dederat, repetiuit, & tabernacu-
lum

lum foederis in deserto instituit Israëliitarum populo, qui ex Abrahæ familia erat prognatus, quod **כְּתוּב** appellatum est, id est, certum, firmum, & statutum, ut ea ratione animos errantes ad certam rationem cultus diuini deduceret. Moses etiam ex consilio Iethro soceri sui instituit Senatum 70. seniorum, qui Græco nomine **το σὺνεδριον** dictus, postea corrupta uoce Sanhedrim appellari cœpit, Illisq; demonstrasse creditur uerum legis diuinæ & promissionum intellectum, quem in monte Sina à Domino acceperat. Ad unicum etiam postea templum in palæstina, atq; ad unitatem fidei in uinculo pacis retinendam, dispersi locorum interuallis, statuto tempore, iussu Dei, conuocati fuerunt. Nec dubium est, Sacerdotum & Leuitarum officia in docendo populo, præparandis, mandandis, offerendisq; Deo uictimis, distincta fuisse. Atq; hinc etiam factum, ut in singulis ciuitatibus Synagogæ instituerentur in Israël, & unicuiq; maiori quidem, ut habet Ebraeorum traditio, 70. numero Doctores præficerentur, qui **מחוקקים** id est legislatores Archisynagogi, seu principes scholæ uocabantur, quos Hierosolymis Herodes rex suspitione affectati regni, & seditionis commotæ paulo ante Christum natum, cum ex posteritate Dauidis, quantum fieri posset, legerentur, extirpari & summos uiros, sapientia, pietate & iudicio præstantes, occidi iussit. Hinc apud Iudæos Pharisei & Scribæ dicti, quorum hi sacrorum librorum literam tantum docebant, secundum Historiam, nec ab ea discedebant. Illi uerò maius quiddam profitebantur, & uelut meliora à cæteris

teris diuidentes & separantes, Pharisei dicti sunt. Expresse etiam fit mentio in scripturis sanctis, gregis seu coetus, & filiorum Prophetarum, Vnde manifestum fit, Prophetas aliquos sibi adiunxisse selectos, eosq; cultui diuino consecrassse priusquam λειτουργιας seu publici officij munera exequerentur.

Sic Moises Iosnam, Heli Sacerdos Samuelem, Elias Eliseum, sibi domestica institutione erudiendum selegit & adiunxit. Sic Iohannes Baptista in historia Euangelica suos discipulorum conuentus habuisse scribitur. Eximius autem coetus fuit discipulorum filij Dei uersantis in terra Iesu Christi saluatoris nostri, qui doctrina et miraculis suos instituit. Ex Actis etiam Apostolicis apparet, Mosis & Prophetarum scripta, diebus Sabbati, populo praelecta & explicata fuisse. Legimus Iohannem Domini discipulum & Euangelistam, Ephesi diu uixisse & docuisse, & reliquisse discipulos. Polycarpum, Papiam, Ignatium, Irenaeum atq; alios, qui ipsi quoq; doctrina & miraculis claruerunt. Sic Paulus habuit priuatim sibi commissos, quos erudijt, & praeparauit ad munus Ecclesiasticum, Barnabam, Timotheum, Titum & alios. Illa autem fundatio coenobiorum, qualis initio non eorum modo fuit, qui postea monachi, sed eorum quoq; qui Canonici uocati sunt. Nam antiquis temporibus Monasteria fuisse ista cuncta, eo etiam nomine indicatur, quo hodie adhuc uulgo de Templis praecipuis utuntur. Sed illa fundatio & institutio eo certe pertinuit, ut in disciplina Christiana & studio sacrarum litterarum educarentur & praepararentur homines, usu lectionum,

præcationum, cantionum, ieiuniorum & aliorum
pietatis exercitiorum, ad arduam illam atq; difficilem
militiam ministerij seu functionis Ecclesiasticæ, ple=
nam laboris, periculorum, difficultatis, contentus, in=
gratitudinis aliquando subeundam, id quod etiam no=
mina officiorum, quæ inter ipsos adhuc usurpantur,
ostendunt, ut Decanorum, Cantorum & alia, non=
dum autem tunc Pontificiarum superstitionum, tradi=
tionumq; colluies, Ecclesiam CHRISTI inunda=
rat. Sed quorsum hæc inquires? Ut ostendatur,
utramq; rationem discendi & docendi eam quæ de
Deo, & eius uoluntate ex scriptis Prophetis et Apo=
stolicis nobis patefacta est doctrinam, in scholastica
illa, & exquisita uerborum & rerum tractatione, &
in populari, quæ non tam ad docendum quam ad per=
suadendum est accommodata, non posse institui, sine
cognitione linguarum, præsertim Ebrææ, atq; Græ=
cæ, (quarum expositione cœlestis ueritatis expositio
continetur.) Ut conditionis nostræ rationem consi=
derantes, cœtus Ecclesiastici consociationem adiuue=
mus, DEI uoluntatem exequamur, sanctorum Pa=
trum exempla imitemur, & bonæ conscientie ὡδὴ
γοφορίᾳ, proprijs & non alienis oculis & auribus
uideamus & audiamus, ea quæ nobis de Spiritus san=
cti Magisterio, fidei & uitæ innocentis regulæ loco,
proponuntur. Hinc ab Apostolo cognitio lingua=
rum, recensetur inter ἁγίσματα Spiritus S. eximia
& singularia, quæ aliquandiu post Apostolorum etiam
tempora unâ cum Baptismo credentibus confereban=
tur. Et nostræ ætate Dei bonitate & munere singu=
lari

lari compertum est, doctrinam Euangelij reuelatam
& repurgatam esse à Pontificiæ doctrinæ caligine &
corruptelis, postquam cœpit linguarum, præsertim
Ebraicæ, Græcæ atq; Latinae cognitio innotescere.
Eusebius quidem Mosis libros ante Alexandrum Ma-
gnum & Imperium Persarum, & ante 70. interpre-
tum ætatem, in Græcam linguam non quidem satis ac-
curatè, ut ipse inquit, translatos esse scribit: Sed testi-
bus tam ueteribus quàm recentibus Ebraeæ linguæ pe-
ritis, certum est, eam etiam, quæ extat 70. interpre-
tum uersionem, sicut etiam Aquila, Theodotionis &
Symmachi, qui Prophetarum libros in Græcum ser-
monem transtulerunt, Ebraei sermonis proprietatem
non omnino fuisse assecutam, multo minus latina illa
usitata translatio, quæ decreto Synodi Tridentinae in
publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus
& expositionibus pro certiss. & ueriss. recipi iube-
tur, neglectis fontibus Ebraici sermonis, tanquam im-
motæ ueritatis argumentum haberi & usurpari po-
test. Paulus autem Fagius nostra ætate uir peritiss.
Ebraeæ atq; Chaldaicæ linguæ, se deprehendisse scri-
bit, quod si alicubi latina uersio usitata, à ueritate
Ebraica dissentit, interpretem uel 70. uel paraphra-
sin Chaldaicam, uel aliquem ex Ebraeorum Rabinis
secutum fuisse. Sed uerum & certum est illud semper,
quod Poëta canit: Dulcius ex ipso fonte bibuntur
aquæ. Quare ut ad rerum intelligentiam & usum ea-
rundem peruenire, & ex scriptis Prophetarum &
Apostolorum naturam & uoluntatem DEI cognosce-
re possimus, in lectione scholastica exquisitiore, uel
etiam

etiam populari, uocabula seu dictiones, quæ rerum nota sunt, earumq; Grammaticam deductionem, proprietatem, coherentiam, significationem & phrasas cognoscamus, & expositionem textus scripturæ secundum literæ seu dictionis ἑὸ τῆ ὑπὸ νεμεδῶς proprietatem & intentionem explicemus. Ecclesia enim eiusq; ministri, & membra, qui sunt credentes in Christum, debent esse custodes, testes, atq; interpretes diuini sermonis. Et hæc quidem de primo instrumento, cuius adiumento & tractatione rectè & utiliter in lectione Bibliorum sacrorum uersari possimus, dicta sufficiant. Ne autem uestra beneuolentia abuti uidear, qua me hæctenus propositi capituli doctrina uaga atq; soluta enarratione explicantem audiui, breuius sequentium expositionem comprehendam. Diuinum sermonem dicit Epiphanius, non indigere Allegorica explicatione, sed secundum sui proprietatem, intentione & applicatione accurata, pro cuiusq; materie natura, explicandum eum esse monet. Sunt enim hæc instrumenta intermedia, ex sententia etiam aliorum quorundam, quibus ad sacrarum literarum intelligentiam & usum peruenire possumus, Lectio, de qua prima nunc parte sermonis nostri dictum est, Meditatio, & Tentatio seu Experientia spiritualis in exercitijs conuersionis, fidei, inuocationis, & aliarum uirtutum. Ad lectiones igitur & linguarum Ebraicæ atq; Græcæ cognitionem accedat meditatio seu obseruatio Argumenti, & Dispositionis, orationis Propheticæ & Apostolicæ, cum Troporum & Schematum ornamentis, & collatione locorum scripturæ, sine præ

præ iudicij & antceptæ cognitionis opinione, qua
Iudæi hodie, & peritiſſ. linguæ Ebraicæ falluntur.
προπάθεια γὰρ (ut quidam ex ueteribus dixit) ὄξυ
οὐ δ' ἐρεκα, ἀντιπάθεια δ' ἐ' ὅλωσ οὐχ' ὄρεα. Neque
existimandum Spiritum sanctum qui est magister
optimus sermonis proprij, disertij & ornati, confuso
& indistincto sermonis genere uti, sed suis quibusdam
flosculis demulcet ille animos legentium, eosq; in ueri-
tatis diuinæ consideratione detinere conatur. Canti-
cum autem Domini non est canendum in terra aliena,
neq; ager Domini serendus est diuersis seminibus, hoc
est, artium liberalium tractatio, quæ Philosophiæ no-
mine uocatur, diuinas scripturas non confirmare de-
bet, sed ijs seruire, easq; ornare & illustrare. Neque
tamen exactiſſ. semper Methodi cuiusdam rationem
obseruauit Spiritus S. in explicatione naturæ & uo-
luntatis diuinæ, qua tamen dum alicubi utitur, satis in-
nuuit, non esse eam à nobis negligendam: In quam sen-
tentiam plura differuntur à Iustino Martyre, Augu-
stino, Hieronymo & alijs, quorum scripta sunt in
medio & à diligentibus cognosci possunt. Postremo
doctrina cuiuslibet capitæ sacrae scripturæ ad locum
communem Theologicum referatur Legis uel Euan-
gelij. Quæcunq; enim scripta sunt, ut Apostolus ait,
ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patienti-
am & consolationem scripturarum spem habeamus.
Et alio loco inquit, Quod omnis scriptura diuinitus
inspirata, utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad
corripendum, ad erudiendum in ipsa iusticia, ut per-
fectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Plura

Plura me his quæ exposita sunt addere, prohibet temporis angustia. Quare Reuerende Vir, Præceptor atq; Pastor colende, Domine Decane, Peto à T. R. D. ut si forsan ueritati diuinæ quædam non satis consentanea, essent à me recitata, ea ut emendes, & me erudias. Est hoc mihi, & auditoribus utile futurum, & gratum.

PRAEFATIO IN HAGGAEVM,
RECITATA AB OPT. ARTIVM M.
Zacharia Schiltero.

ETSI magnifici, dignitate, uirtute & doctrina præstantissimi uiri, uosq; adolescentes studiosi, etsi, inquam, humanitas & æquitas uestra hætenus mihi perspecta abundè testatur uos non malè sentire de susceptis à me dicendi partibus, quòd et legum huius scholæ cõstitutio & ordinis legitima successio in hunc me locum producendo necessitatem faciendi officij mihi imponant: tamen ut honestæ dicentium consuetudini & pudori meo satisfaciám, qua par est reuerentia & summissione à uobis peto, ut præbeatis mihi aures faciles & benignas habituro oratiunculam breuem & concisam de argumento salutaris doctrinæ & consolationis non experte. Propositum est autem mihi τῶν προλεγομένων loco exponere ἀφορμὴν & argumentum S. Prophetæ Haggæi, quem de sententia statutorum collegij Theologici in manus sumpsi, Deo fauente, aliquando explicandum. Qui uerò occasionem, consilium & argumentum concionum alicuius Prophetæ perspicere conantur, ijs perutile fuerit, prius

prius consulere historias eius temporis, quo uaticinati
sunt singuli praesertim sacras, quae in libris Regum &
ῥαγαλειπορωῶν continentur, ut ex ijs cognosca-
tur, quantum fieri potest, cum ipsius Prophetae, qui in
manibus est, ingenium & uita, tum Ecclesiae atq; Rei-
pub: apud eum populum, de quo siue ad quem uerba fa-
cit, status. Tum demum enim longè clarissimè perci-
pietur, quorsum tendant Prophetae conciones, quodue
eius sit consiliu, ubi perspectum habebitur, quomodo
religio tunc neglecta fuerit uel exculta: quae item ui-
tia in Ecclesiam & politiam irrepserint. Hac in parte
non parum iuuabuntur interpretes librorum Prophe-
ticorum in scriptionibus diligenter excussis. Solent
namq; haec nomina regum & tempora ac prouincias
notare, ut sciri possit, quas legere ei tempore congru-
entes historias expediat. Quod si nullum uenit subsi-
dium ab historijs, proximum est ut ex ipso Propheti-
carum concionum contextu, quae facies Ecclesiae aut
Reipublicae fuerit, quae uitia dominari, quae uirtutes
reflorescere coeperint, addiscatur. Constat ergo cum
ex Esdrae & ῥαγαλειπορωῶν historia, tum ex
huius Prophetiae inscriptione & contextu occasionem
praebuisse concionibus huius Prophetae statum populi
& regni Iudaici post reditum ex tristissima captiuita-
tis Babylonicae seruitute, ualde perturbatum & mul-
tis difficultatibus constrictum & implicatum, con-
gruentem scilicet ad Danielis uaticinium, qui praedi-
xerat futurum, ut Hierosolyma aedificando instaura-
retur in angustia. Etsi enim Cyrus anno captae Baby-
lonis primo, qui in annum mundi incidit ter millesi-
mum

426

mum quadringentesimum uigesimum quintum annis ante Christum natum quingentis, proposito lætissimo edicto Ecclesie longo exilio duriter quassatæ Duce Zorobabel & Iesu summo sacerdote, non modo reditum in patriam concessit, & instaurationem templi et urbis regia munificentia adiuuit, partim uasa templi à Nabuchodonosore erepta ultrò restituendo, partim imperando ciuitatibus & præfectis, ut Iudæos necessarijs sumptibus & uiatico instruerent, partim præcipiendo subditis, ut liberali facultatum communicatione extructionem operis promouerent, sed etiam altero anno ad eiusdem regis imperata altare iam denuò extructum est & iacta sunt fundamenta Templi, ita ut spes optima esset futurum, ut suscepta instauratione felicem successum haberet & mature absolueretur: tamen hæc lætissima initia mox illatis multis impedimentis uehementer turbata sunt. Cum enim Cyrus bellum aduersus Massagetæ gereret, in quo & occubuisse eum Herodotus scripsit: Publico edicto Cambyses filij patris loco ad gubernacula imperij sedentis instituta Templi ædificatio prohibita est, eò quod ipso Aegyptijs bellum illaturo calumniatores aulici disputarent, metuendum esse, ne Iudæi se Aegyptijs adiungerent, quod de Aegyptia stirpe perhiberentur oriundi. Et ideo eis permitti nullo modo debere, ut munitum locum in sua terra haberent. His diabolicis consilijs instauratione Templi impedita intercidit. Post Cambysen res Persici Regni turbulentiæ fuere, quod Magi occupando inuaserant. Postea Darius Hystaspis filius, anno Regni sui secundo, Cyri edictum renouauit,

augendis incumberent, Haggæus cum Zacharia colle-
gæ diuinitus excitati fuerunt, ut populum languidum
& metu cunctantem testificatione non modo uolunta-
tis, concessionis & approbationis diuinæ & temporis
diuinitus destinati, sed etiam promissione auxilij &
presentiæ Dei animarent & confirmarent, eiq; sua-
su & hortatu suo autores & uelut ἐξ ἑοῦ ἰσχυροὶ εἴ-
sunt instauratiōis maturè perficiendæ. Cogitate enim
ipsi quæso, quàm fuerit res impedita, difficilis & ar-
dua templum & regnum, quæ iam annos 70. iacue-
rant, prostrata instaurando erigere, præsertim inter
tot uicinas gentes, quæ urebantur gloria populi DEI
& inuidebant illi felicitatem diuinitus per reges Per-
sicos concessam, & omnino odio in Iudæos ardebant.
Quemadmodum igitur ceteri Prophetæ non modo
uocati fuerunt ad repurgandam doctrinam, & præ-
cipuè ad illustrandam promissionem de Messia, sed
etiam habuerunt sua πολιτεύματα, quæ suo consilio
gubernarent, qua de re aliàs dicitur, cum uocationes
Prophetarum & Apostolorum discernuntur: ita hi
duo Prophetæ non modo ad docendum populum re-
ducem missi sunt, sed ut etiam essent gubernatores &
duces instauratiōis templi & urbis, qui sua uoce po-
pulum, & incitarent & confirmarent, ut gnauiter
operas suas facerent, & magno animo non modo ini-
tia molirentur, sed etiam extrema persequerentur, &
absolutionem operis perficerent. Atq; hæc de occasio-
ne huius prophetiæ dixisse sufficiat. Nunc argumen-
tum & summam concionum Haggæi paucis quoque
complectar. Primum igitur noster Prophetæ graui-
ter ob-

ter obiurgat partim torporem & ignauiam, partim
τολευεξίαρ populi, qui magnificis ædibus priuatis
extruendis ijsq; splendidi exornandis addicti erant
neglecta instauratione templi & cultus diuini, &
ostendit eos meritas suæ ingratitude pœnas persol-
uere summa frugum & annonæ inopia laborantes, eò
quod Deum liberatorem uel contemnant uel non sal-
tem quo debebant honore prosequantur, sed fraudent
potius legitimo cultu, cui se totos colendo meritò ad-
dicere debebant. Deinde ad imbecilliores conuersus,
ostendit non esse cur frangantur ulla difficultate in
restitutione templi, quamuis undiq; cincti hostibus
quotidianos sustineant impetus, terreantur etiam mi-
nacibus edictis, bene tamen de successu laboris speran-
dum esse, quod Dominus ipse operi incepto colopho-
nem additurus & hunc nidum sui agminis inter mul-
tiplicium turbarum procellas sua præsentia protectu-
rus & defensurus sit. Affirmat etiam Deum amplissi-
mis præmijs ornaturum esse, cum eos qui huius templi
restitutionem adiuuerint, tum, qui omni tempore pio
studio iuuant & tuentur ministerium Euangelij &
scholas cum necessaria facultatū collatione & benefi-
centia erga pios Doctores, tum cæteris officijs, quem-
admodum filius Dei testatur inquiens, quicumq; dede-
rit alicui poculum aquæ frigidæ tantum nomine disci-
puli, non perditurum esse mercedem suam. Et hæc qui-
dem in priore capite tractantur. Porro cum non pa-
rum languesceret Iudæorum industria, & frangere-
tur conatus dolore orto ex conspectu templi noui mi-
nimè accedentis ad ueteris excellentiam & dignita-

tem, quod quidem ad magnificentum splendorem ædificij
& copiam auri, argenti atq; gemmarum attinebat,
populo scilicet ad extremam paupertatem redacto &
necessarijs sumptibus destituto, ideo Propheta in se-
cundo capite eos exuscitat stimulo amplissimæ promif-
sionis de aduentu Messie, quem affirmat nouo templo
sue personæ præsentia, beneficijs & miraculis longè
augustiores honorem, dignitatem & gloriam excel-
lentiores conciliaturum esse, quam quibus uetus fue-
rit ornatum. Nam ut cætera preciosissima κειμήλια
prioris templi breuitatis causa iam prætermittam,
quamuis ingens decus & ornamentum illi addiderint
multi illustres & insignes Doctores autoritate & di-
gnitate præstantes: tamen & persona & beneficijs
atq; miraculis docet Messiam uenturum omnibus lon-
gissimè antecellere, quæ sententia quia uelut gemma
insignis in hoc Propheta eminet, ideo explicatione di-
gnissima est. Nam de persona ita concionatur. Adhuc
unum modicum hoc & ego commouebo coelos, hoc est,
faciam opus præter & contra uniuersæ naturæ uim
& ordinem, quia Filius Dei descendet de coelo, & as-
sumet naturam humanam: Et mouebo terram, hoc est,
natura humana copulabitur diuinæ unione personali
& indissolubili. Hæc unio duarum naturarum planè
miranda & inexplicabilis personam Messie in am-
plissimo dignitatis gradu collocat. Deinde & benefi-
ciorum magnitudine Messiam omnibus licet præstan-
tissimis Ducibus & Prophetis populi Dei anteposit,
dum eum desiderium omnium gentium uocat, quod so-
lus salutem æternam, non modo Iudæis, sed etiam gen-
tibus

tibus sit allaturus, iuxta promissionem Abrahamæ factam: in semine tuo benedicentur omnes gentes. Porro complectitur Propheta uoce commotionis cœlorum & terræ, & admirandæ gloriæ noui templi illustriæ & insigniæ quoq; miracula, quæ Messia exhibito in cœlo & terra passim edita sunt, & omnium Prophetarum mirandis factis, in ueteri templo editis, ingenti gloria præfulgent. Nam & conceptionem illius in aluo uirginis Angelus de cœlo missus prænunciat, & natum Dominum magna agmina angelorum læta uoce prædicant, & noua ac illustris stella ipso meridie contra naturæ ordinem mirando modo apparens locum nati Messia Magis præeundo clarè demonstrat. In baptismo illius non modo mirando testimonio sese patefacit diuinitas, sed etiam ipse dominus & seruator ingente gloria afficitur, dum ipso in Iordane stante, cœlo aperto, æternus Pater dulcissimam hanc uocem de ipso pronunciat: hic est Filius meus dilectus, quo delector, hunc audite, Spiritus sanctus columbæ specie descendens, eundem Dominum plenitudine sui ungen- do regno & sacerdotio præclare præficit. Hoc Domino patiente Sol medio die obscuratur & inuoluitur totus terrarum orbis tenebris contra totius naturæ uim & ordinem. Terra quoq; contremiscente quasi Dominum suum pendentem ferre nequeat, aperiuntur sanctorum monumenta, & franguntur saxa caucasi rupibus duriora. Hoc Domino resurgente Angelus cœlitus demissus lapidem de monumento reuoluit, & terra ingenti tremore concussa prodeunt ex monumentis uiui magno numero sancti, longè antè uita defuncti.



defuncti. Hunc Dominum ascendentem nubes in cœ-
lum recipit, à quò quinquaginta post dies edito hor-
rendo cœli fragore & magno impetu perturbanti-
bus domum Apostolorum uentis, uisibili specie effun-
ditur in Apostolos Spiritus sanctus, quo duce ipsi
munus Apostolicum aggressi, commouent & contur-
bant prædicatione Euangelij uniuersum terrarum
orbem, ut in actis scriptum est. Hæc nimirum est illa
eximia & excellens gloria, qua præstiturum prædi-
cit Propheta ueteri templo nouum, personæ scilicet,
beneficiorum & miraculorum Messia, quæ in hoc
templo edita sunt, eminens, dignitas & amplitudo.
Obseruanda est autem hoc loco illustris Iudeorum
pertinacium refutatio, dum Propheta Messiam secun-
di templi præconem & doctorem inducit, quod pau-
cis annis post ministerium Euangelij in eo incoatu-
rus sit, & editurus ingentia miracula stante adhuc
Repub. Iudaica, iuxta Danielis prædictionem. Mani-
festum est autem non modò templum, sed etiam totum
regnum Iudaicum ante annos circiter mille, quingen-
tos funditus deleta esse, nec instaurando ab interitu
iudicari potuisse, etiamsi aliquoties instauratio ma-
gna ui & conatu tentata est, ut ex historia Ecclesia-
stica notum est. Illi ergo cineres & solitudo illa eui-
dens dicunt testimonium prædictionem nostri Pro-
phetae nullo modò irritam, sed euentu ipso compro-
batam esse missò & exhibito redemptore olim pro-
missò, Qua de re ut plura nunc dicantur, ut neq; ne-
cesse est, ita neq; temporis angustia permittit. Quæ
autem $\kappa\upsilon\ \omega\alpha\gamma\acute{o}\delta\ \omega$, ut dicitur, à me commemorata
colende.

sunt, ea spectabilis D. Decane Promotor reuerenter
colende, uestrae censurae subijcio, a V. spectabili &
excellente dignitate reuerenter petens, ut minus recte
dicta corrigere non dedignetur.

His serie sua recitatis: Decanus
Collegij Theologici (cuius munus hoc
erat) orationem argumento congru-
ente ijs actionibus & rebus, quæ su-
ceptæ erant & gerebantur, consuetudi-
ne antiqua, habuit, & sententiam Colle-
gij Theologici declarando, solenni in re-
nunciatione productos ad petitum
gradum dignitatis pro-
mouit.



D 4

ORATIO

426



ORATIO PROMOTO- RIS.



CV M ita res tulerit, ut mihi uerba ex hoc loco facienda sint, & Reuerendi pietateq; & dignitate praestantis Viri, Senioris in collegio Theologico, audita modo petitioni morem (quemadmodum equum est) gerenti, & ijs, quae commemorata sunt, aliquid meae orationis adiungenti: Etsi bona in spe sum, Magnifice Vir Rector Academiae nostrae, uosq; caeteri praestantes uiri uirtute, sapientia, honoribus, doctrina, humanitate (qui uestra praesentia conuentum hunc celebrare & ornare uolulistis, una cum studiosae Iuuentutis officiosa frequentia) Etsi, inquam, confido me ab omnib. benigne & libenter auditum iri, id ipsum tamen etiam atq; etiam cum reuerentia, qua debeo, & quo studio par est, peto ab uniuersis, simul consuetudine inueterata, simul considerans quam ego in hoc concionandi genere inexcercitatus sim, & nequaquam idoneus, ad eius muneris (quod necessitate mihi imponitur) functionem, Quod si perferre me non posse caussatus fuisssem, non tam imbecillitatis excusatio acciperetur, quam uoluntatis, non praestando officium, peruersitas reprehenderetur. Minime autem dubito, quin uestra facilitas atq; mansuetudo, haud grauate mihi hoc tributura sit, quod iam innumeris alijs saepissime contigit. Quia autem de ijs aliquid est
dicen-

dicendum, quibus ad docendum ueritatem celestem, &
explicandum scripta sacrarum literarum (quæ pro=
fessio in publicis scholis facultas Theologiæ uocatur)
quasi ianua aperiri iam debet, decreto eo titulo, quo in
huius tantæ facultatis concessione nouitij ornari so=
lent: Rectissime me facturum putauit, si ueterum in
Ecclesia Iesu Christi eruditione & sanctitate excel=
lentium, salutare admonitiones & grauissimas sen=
tentias repetendo exponerem: Et, de ordine atq; rati=
one uera (Græci εὐταξία appellat) in tractatu re=
ligiosarum disputationum simul & actionum seruan=
dis: Et quod neq; hominis cuiuslibet sint, neq; cuius
tempori conueniant, de Deo rebusq; diuinis quæstio=
nes & argumentationes. Libet autem differendi
ista initium ducere ab ea interrogatione, & responsi=
one, quam doctissimus Theologus, & hoc eximio no=
mine à Græcis appellatus, Gregorius Nassium u=
surpauit: Quid primum, Quid maximum,
quid religiosis mentibus aptissimum,
Quid his etiam temporibus in primis ex=
petendum sit? Pax est hæc nimirum ac tranquil=
litas. Contra uero, Quid cum turpissimum tum de=
terrimum? Nonne turbulentiæ dissensiones? At enim
quo pacto illa labefactatur potissimum atq; conuelli=
tur, & hæc introducuntur atq; crescunt? Sunt enim
certæ malorum causæ cognoscendæ ab ijs, qui tolli
ipsa remoueriq; cupiunt. Ut morborum, si ægrotos
sanari uelimus, & uitiorum, si quasi fluxiones horum
obturari aut prorsus extinguere studeamus. Non enim
potest de fine euentuq; certi aliquid constitui, minus
diligente

*Spitiosum quidem nomen est publica opinio
unitatis sed qd ambigat tam solam uni=
tam Ecclesiam quam esse qd Christi nra*

diligente de principio ac causa, suscepta consideratione. Atque afferentur iam fortasse à me quaedam quae duriora & auditu minus iucunda uidebuntur. Et sunt enim, sed nihilo minus uera, de quo mihi, qui attendere ea quae dicentur, uoluerint, assensuros esse spero uniuersos. Turbarum causas dant, & distractionum perniciosarum autores sunt, naturis quidam & ingenijs praediti uehementibus & elatis. Non simplice quadam acrimonia illi quidem solertes, neque alacritate moderata exultantes (Nam feruor quoque flagrantis animi ad religiosae pietatis, & uirtutis omnis perfectionem requiritur) Sed in illis magnitudo ista, atque incitatio animorum, & insolens est, & in opinione scientiae imperita, & ideo quoque audax. Inscitiae enim soboles est audacia. Humiles & paruae naturae in neutram partem magna moliri consueuere, uiribus enim deficiuntur, sed ingenia sublimiora & maiores animi, si bona institutio his contingat, et ueritatis istud genus pareat praecipis, & his quasi frenis sese regisinat, ad pietatis & uirtutis laudem atque decus plurimum in eis momenti reperitur. Sin deficiantur eruditione solidae doctrinae, & rectorum studiorum cultura, & bonae mentis quasi ductu, tantundem in eis ponderis est ad improbitatis profanae turpitudinem. Nam & equum generosum, quem uictorem in certamine siue belli siue ludorum, fore speratur, ferocem quoque esse conuenit. Sed quam uis ille strenuus, si intractatus sit, si effrenatus, si indomitus & nulla exercitatione ad mansuetudinem deductus, neque utilis, & saepe etiam numero damni & mali autor futurus est.

Confluit

*critia
solos*

Confluit autem in talibus fere tanquam in una senti-
na, petulans licentia, & confidentia temeraria, &
malitiosa quoque calliditas. Atque ista colluies plerumque
unius corporis membra distrahit, fratrum concordiam
diuellit, communitates perturbat, vulgus insanire
facit, gentibus arma induit, Reges inter se committit,
sacerdotes à populo, populum à sacerdotibus alienat,
& in hoc ipso mutuarum inimicitiarum odia excitat:
Inter parentes & liberos, inter coniuges, amoris natura-
lem affectionem retundit. Nullum ab hac peste
benevolentiae nomen tutum est. Inter seruos & domi-
nos, Magistros & discipulos, senes & iuuenes, discor-
dias illa inducit. Hac uerecundiae pudorisque abiecta
lege, alteram assumit contumaciae atque arrogantiae. De
quibus deploratur perpetua Ecclesiae querela (semper
enim huic tentationes istae ab initio molestae & graues
fuerunt.) Et nos eae difficultates urgent, ut ijs, qui sui sta-
tus praecipuam esse miseriam putauerunt, aequalem
querimoniam iure optimo habere possimus. Distrahi-
mur enim iam passim, & seditiones intestinae planeque
domesticae atque familiares secessiones, dissipant lace-
rando Ecclesiae Christi in his regionibus congregatio-
nes, in quibus, Dei aeterni benignitate, & doctrinae
ueritas, & cultus sincerus exercetur, depulsis erro-
rum tenebris, & superstitionis uanitate exclusa, au-
tore ad hoc tantum bonum diuinitus excitato, Reue-
rende & pie memoriae Doctore Martino Luthero,
à quo & doctrinam in Ecclesia Christi, demonstrata *in hunc*
falsitate, expurgatam, & abusus multiplices emenda- *si tempo-*
tos esse, & iter indicatum ad integritatem disciplinae *rius pro-*
land. sig.
Christiana *hac opus*
monia,

Christiane (quicquid aliqui adhuc uociferentur recla-
mando) constat, & nos gratis animis meminisse de-
bemus. Quam celeriter autem aliqui consensionem sa-
lutarem labefactare ausi fuerunt? Et quanta confusio
de affectato a pluribus principatu extitit? Quae uero
acerbitas cognita est eorum, qui tunc a nobis discesse-
runt? ut ipsos ex nobis nunquam fuisse intelligi possit.
Dissipata sunt ossa nostra secus infernum, ut est in
Psalmo. Et tanquam externis hostibus iam profliga-
tis, nihil periculi restet, ciues sibi uiolentas manus in-
ferunt. Id quod tanto peius iusti belli certamine, quan-
to hoc ipsum pace deterius est. Et tantus furor est, ut
ne sentiant quidem dolorem uulnerum, qui suo illa cor-
pori infligunt, ac latentur quoque tam perniciosos co-
natibus, & hos studio quietis ac pacis praeferentes, pi-
etatis nomine commendent. Iidem ex communibus ca-
lamitatibus etiam lucri aliquid non dubitant quaerere,
& suam desertionem calumniarum commentis uelan-
do tegunt. Quid? quod persuasum uidentur habere,
maledicendo ijs, quos reliquerunt, obsequium se pra-
stare Deo. Itaque non iam sermo Christi gladius ille
anceps diuidit manifesto fideles ab infidelibus, & pios
ab impijs, Sed unum coetum fidelem atque piuum, & aedi-
ficiam supra idem fundamentum extructam, diuellit
atque conuellit uel peruersitas animi atque uoluntatis, uel
prauitas iudicij, uel etiam ambitiosae contentionis im-
probitas, uel sane (dicatur enim hoc quoque) Zelus qui-
dam expers scientiae. Non iam diuidimur in unum
Paulum, aut Cepham, aut Apollo, aut hunc plantato-
rem illum rigatorem, Sed multiplex Paulus, & Ce-
phas,

phas & Apollos inuasit unum, solum, indiuiduum no=
men Christi, cuius sanctitatem communem ille esse uo=
luit Ecclesiae suae. Quin propemodum etiam multipli=
cem Christum (id quod dictu horribile est) introduci
animaduertitur. Non cohercentur enim profanae uo=
cum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiae,
ut ait Apostolus, neq; reprimuntur loquacitatis infi=
nitae certamina, quibus & ocium impenditur, neque
negotia obstant. Hunc uastatorem Ecclesiae ignem non
accendit is, qui optat apud Euangelistam Lucam, ut
suus ignis ardeat. Neq; est ista separatio, ad quam
se immittendam idem uenisse dicit. Ardor iste est &
haec uehementia, cuius supra fecimus mentionem, im=
peritae concitationis, & sibi nimium tribuentis confi=
dentiae & effrenati impetus, eorum qui non auscul=
tant sapienti Regi, cuius inter alia hoc esse praecipitum
scimus: Noli esse iustus multum, neq; plus sapias quam
neesse est. Omnes disputationes lubricae sunt atq; mo=
biles. Quod unicuiq; orationi altera reperiatur con=
traria, & contradicendi studio irritetur cupiditas al=
tercandi. De rebus autem diuinis eo conuenit sermo=
nem haberi attentius atq; cautius ac timidius, quo sunt
illae grandiores sublimioresq; & ardentius ac maiore
cum periculo differi solent. Omnino flagrantis animi
impetus, quo est quasi sagacior, eo foediores strages
dare solet, si extra modum honesti & recti prodeat
ostentando sapientiam aut uirtutem. Utiliter ergo
praecipitur: Ne quis sapiens esse uelit ultra quam o=
pus est, Neu ipsa doctrina doctior, Neu religione re=
ligiosior, & luce, secundum prouerbium, illustrior,
aut

aut Regula directior, Ad ita continget, Si non ignoretur neq; negligatur decorum, & laudetur ipsius Naturæ Lex, & obtemperetur rationi, ut in ueritate ductum illius sequentes, & rerum ordinem, & opportunitatem temporis, & omnibus in actionibus modestiam conseruemus. Quæ omnia in ea sunt, quam supra à Græcis *ἁρμονία* appellari diximus. In celum sursum oculos aliquis tollat, & deorsum in terram demittat, omnia præclarissima ratione composita, & pulcerrimo ordine disposita esse perspiciet. His celestia atq; terrena continentur. Ratio & ordo est tam in ijs, quæ mente & cogitatione sola comprehenduntur, quam ijs, quæ percipiuntur sensibus. Est in Angelis. Est in siderum motu, magnitudine, habitu, respectu erga se, & splendore. Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum, Stella enim differt à stella in claritate, inquit Apostolus, Ordo est in anno diuersorum temporum succedentium & concedentium sibi. Ordo diei & noctis. Ordo Elementorum, ex quibus corpora coagmentantur. Ordine celestes orbis conuertuntur, diffunditur Aër, spirant uenti, depluit aqua implicata nubibus. Atq; ita ordine permanente & constante ratione, Rerum ista uniuersitas uere Mundus est, & species illius eximia. Quid designat autem perturbatio & confusio? Supra tonitrua, infra terræ motus, In mari tempestates, in ciuitatibus tumultus & bella, in familijs rixas atq; iurgia, In corporibus morbos & ægrotationes, In animis uitia & peccata. Omnia ista non Rationis neq; ordinis indicia exemplaq; & nomina sunt, neq; placidæ & quietæ

quietæ agitationis, sed confusæ, turbulentiæ, inimicæ
impulsionis. Ordo & ratio deuincit atq; connectit, per-
turbatio & confusio dissoluit atq; diuellit. Ratione
& ordine procreatio, educatio, collocatio animanti-
um constituta est. Neq; Delphinum, ut dici solet, a-
rantem, neq; bouem natando obuersari uidemus.
Quemadmodum neq; solem noctu crescentem & de-
crescentem, neq; Lunam interdiu coruscantem. Mon-
tes excelsi ceruis, petra refugium Erinaceis. Fecit Lu-
nam in tempora, Sol cognouit occasum suum, & cæ-
tera, quorum illo Psalmo ordo & dispositio recense-
tur. Atq; ut semel dicam omnia: Ratio & ordo fun-
damenta sunt & stabilitas uniuersorum. His homines
à cæteris animantibus distinguuntur. Hinc origo ci-
uitatum, Hinc Leges & Iura extitere. Hinc honesto-
rum actionum præmia & poenæ peccatorum. Hinc
artificia orta, iunctæ legitimæ nuptiæ, & erga sobo-
lem naturali amoris affectione, facta est uita mansue-
tior. Verum ista tam uerbosa oratio quonam tendit?
Nimirum eo, ut in peculiari ac proprio cœtu Dei æter-
ni, & singulari atq; eximio opere ipsius, (Quæ Ec-
clesia, & quod huius ministerium est) Inprimis Ratio
& ordo obseruetur, & obtemperetur Apostoli salu-
tari præcepto: Omnia honeste & secundum ordinem
fiant in uobis. Sic enim grex à pastore discernetur,
& constabit, qui præesse & gubernare, qui subijci ac
parere debeant. In corporibus nostris caput est, sunt
oculi, nares, aures, manus, pedes, membra cætera, di-
uersæ illæ quidem partes atq; distinctæ tam æstimati-
one quam usu, sed ad totius salutem commoditatemq;
congru-

4.26



congruentes & aptæ. Non ambulat oculus, sed præ-
lucet. Non aspicit pes, sed progreditur. Non percipit
uoces lingua, hoc enim aurium est, neq; loquuntur Au-
res, sed Lingua. Et narium est odoratus, & guttur
escas gustu dijudicat, inquit ille in libro Iob. At mani-
bus ad dandum accipiendumq; instruumur. Omnium
autem Regina & dux Mens est, unde sentiendi facul-
tas atq; uis existit, & quo reuertitur. Similiter in
communi corpore Ecclesiæ, cuius caput est Christus
(omnes enim corpus unum sumus in Christo, & singu-
li Christi inter se connexa membra) Aliorum est prin-
cipatus quidam præsidendo & docendo, aliorum sub-
iectio auscultando & discendo. Quorum dif-
ferentium tam usu quam dignitate cum non sit eadem
efficacitas, unum tamen sunt ambo, in uno Christo, ab
huius concinnati atque compositi spiritu. Iam in ijs,
quos regi duciq; oportet, quanta discrimina sunt? in-
stitutionis, exercitationis, ætatis. Quanta in ijs, qui
regere & ducere debent? Quosdam enim fecit Deus
in Ecclesia, primo Apostolos, secundo Prophetas, ter-
tio Pastores & doctores. Atq; est Spiritus omnino
unus, sed non sunt equalia dona Gratiæ. Quæ, ut
scimus, ab eodem Apostolo luculente enumerantur.
Hanc igitur rationem & istum ordinem nos quoq; ue-
recunde tueri decet: Ut sit aliquis tanquam auris, ali-
quis tanquam lingua, aliquis tanquam manus aut pes,
aut quiduis aliud. Hic doceat, ille discat, fiatq; etiam
istud ipsum ratione & ordine. Similiter & loco offi-
cioq; munera administrationis differant. Ne uelint
cuncti lingua esse, nec calamus quidem uelox ad scri-
bendum.

endum. Id quod his quoq; temporibus maxime est in
promptu & usitatissimum. Ne Prophetæ quidem, aut
horum nominibus temere gloriantes. Multo minus
Apostoli, generalem quandam auctoritatem uendican-
tes, & nihil non potestatis sibi sumentes apud & er-
ga omnes, corripiendo, redarguendo, instando oppor-
tune importune, dureq; increpando. Non etiam au-
deant statim esse diuinorum oraculorum interpretes.
Magna atq; ardua res est, de Deo æterno loqui atque
differere. Difficilis etiam admodum, suam quasi do-
mum puram mundamq; exhibere & seruare, mansio-
nem in hac facturo Deo. Nam in maleuolam animam
non introibit spiritus sapientiæ. Et iubemur semen-
tem facere ad iusticiam, & uindemiare fructum uitæ,
ut illustremur luce ueræ cognitionis, non repleamur
quasi uento opinionis à nobis conceptæ, cuius spiritus
inflando animos peruertit. Ne quis se statim pasto-
rem faciat, quem adhuc ouiculam esse conuenit. Non
cupiat aliquis eminere tanquam caput, qui propemo-
dum pedis instar est. Non appetat locum editiorem
quo conspiciatur præ alijs, qui nondum in inferiore
satis firmam stationem habet, suamq; sapientiam ne
efferat præmature, metuens scilicet ne cum ipso sepe-
liatur. Vetus est hoc: Ducem imperitum obijcere ho-
stibus ad mactandum milites. Cur affectas Ducis digni-
tatem, qui nondum militare didicisti? Remigem pri-
mum esse, mox fieri proretam, & ita deinceps ad gu-
bernationis munus perueniri conuenit. Si est in aliquo
perfecta ætas uirilis Christiana, & satis exercitati
sunt interiores sensus, & fulget lumen cognitionis at-

E que

que scientiæ: Nequaquam hic sileat. Tunc enim certe
est loqui melius quam tacere. Loquatur igitur iste Dei
sapienciam apud perfectos, suo ille quidem loco, &
quando opportunum fuerit, ubi uocatio iusserit, quo-
ties functio muneris postulauerit. Non procurrat au-
dacter, Non ingerat se temere, non induat suo arbi-
trio personam maiorem quam par est, & sustinere
ipse potest. Ne faciat sese assentando sibi Heliam, aut
nescio quem alium Prophetam atq; diuinum hominem.
Periculosa est talis exultatio, & perniciem affert præ-
sentem. Queritur de suorum temporum miseria
Nassiansenus: plurimos, qui gloriola forte essent ali-
quid adepti, uel ne id quidem interdum, si fortuito duo
aut tria uerba scripturæ sacræ ediscere potuissent, atq;
ea adeo concise & parum intellecta, ita ostentare uno
die natam sapientiam, neq; dubitare tales aliquando
mouere uel aduersus Mosen, sicut Dathan & Abiron
seditionem. Grauis est ista querela, in qua eloquens il-
le uir copiosus admodum est, & aliquanto asperior,
quo indignius tulit tumultuantem improbitatem curi-
ositate simul & ambitionis in Ecclesia, paulo ante ac-
quiescente, post aduersariorum uiolentos impetus &
persecutiones cruentas. Nostra quoq; ætate passim de
eadem calamitate conqueri iure possunt fideles & a-
mantes pacis (eius quam promissam discipulis suis ipse
Christus dat, non iste Mundus) Ecclesiæ sanctæ mi-
nistri atq; Pastores. Quam seuæ enim quasi procellæ,
& tempestates quædam turbulentiæ audaciæ hanc con-
cusserunt, postquam Reuerendæ & piæ memoriæ,
regitū summus Vir, Doctor Martinus Lutherus terras reli-
quit?

inam discessit
Lutigeri fabricando
suas formulas intinuit
V. d. d. b. o. n. (1521)

ni. In quo quidem, si non Dei æterni timor moueret
aliquorum animos: Miserae patriæ respectu tangi il-
los oportebat, quicumq; sunt qui istam improbitatem
& petulantiam adiuuant, uel non potius totis illi ui-
ribus aduersantur: Eorum, qui furentibus animis, o-
dio, emulatione, inuidia, cupiditate tumultuandi, non
desinunt præclare stantia conuellere, & labefactare
bene constituta, & rixando altercandoq; novos indi-
es motus excitare: Reprehendere quælibet audacissi-
me, insectari quosuis impudenter: obrectando inno-
centibus & probis summa cum licentia, deniq; calum-
nijs infamiam aspergendo & contumelijs ledendo
nullis rebus personisq; parcere. Qui uero sunt isti in-
quiet aliquis? Neminem me uelle nominatim indicare
paulo ante ostendi, quod istorum malorum autores no-
ti essent. At enim, qui significantur, in eis hanc accu-
sationem hæere, plurimi negant, Atq; aiunt, fidem
haberi parti uni pronuntianti de aduersaria parte al-
tera, æquum non esse. Aut si hoc à nobis postuletur,
concedendum idem nos damnantibus. Reum fieri &
conuinci, duo esse, inter quæ medium interiectum sit
iudicium. Mutuas has esse criminationes, & pro sua
utramq; partem ipsam opinione, ferre sententiam.
Et qui plus forte possint, eos uim facere alteris, appella-
lantibus utrisq; Dei æterni cognitionem. Et quæ alia,
de talibus controuersijs sunt in promptu. Scio solere
istiusmodi aliquos uociferari, aliquos musitare. Et
plerosq; sibi assentando de consilijs actionibusq; pro-
prijs prauos esse iudices. Quin etiam alijs pronuntia-
ntibus, non raro fontes absolui, & condemnari in-
fontes.

*naq; inu-
lito.*

*na pars
inuen
in honore
in iuris
sua in parte
in iuris
in cognita non solum damnata sed in iuris profertur*

fontes. Et esse tamen manereq; uerum, iustum, re-
ctum oportet, quamuis peruersitate hominum aliquid
detorqueatur. Non postulo ut meis uerbis fides habe-
atur. Auertantur oculi ab insimulationibus nostris.
Non quid nos conqueramur & asseramus in medium,
ponderetur. Ipsa res spectetur, Quid inceptum, ten-
tatum, consultum, actum sit, contemplando perspiciat-
ur. Causse etiam omnium, quae gesta sunt, & pro-
gressiones (ne quid de euentis dicam) considerentur.
Et ita deinde iudicent praesentes, quemadmodum dici
solet, & posteris, non sequentes affectiones animorum
suorum, non adhibentes ad deliberationem cupidita-
tes proprias, non inbiantes rumusculis uulgaribus, de-
niq; non huc aut illuc inclinantes propensionem uolun-
tatis suae impulsae, quasi decuriando, peruicacia, obsti-
natione, & ea, quam Graeci uocant ἰδ' ἰο γυνωμοσ' ὕψηρ,
leuitate gratificationis, spe commoditatis, fauore in-
iusto, & similibus, quibus corrumpi iudicia, peruertiq;
animos hominum solere neminem fugit.

Haec igitur iudicij integritas praestetur & non
prauertatur sententiae pronuntiatio facti explorati-
onem. Queratur & comperiatur: Quinam uerita-
tis celestis causam ab initio defenderint. Quinam so-
cietatem & coniunctionem de illa consentientem tue-
ri perseuerarint. Quinam difficilibus temporibus ne-
que impendentium periculorum metu, neq; praesenti-
um malorum terrore percussi constantiam grauita-
temq; & suum locum deseruerint. Quinam ueritatis
& doctrinae celestis hostibus opponere sese nunquam
destiterint. Qui perpetiando tolerandoq; omnia, quae
possent

*Sic san-
tigitur
L. 1. mo
noian
vifum
t. 4. ro
St. 1. u. 1. u.
p. 1. 1. 1. 1.*

*L. 1. 1. 1. 1.
p. 1. 1. 1. 1.*

M. E. J.

4.26

possent & deberent, paci quietiq; consuluerint. Qui non miscuerint agninas & caninas carnes, secundum prouerbum, atq; studiosissime cauerint, ne occasionem aut causam uiderentur dedisse detrimenti ullius, quod accidere posset Ecclesie Iesu Christi in terris uspiam locorum ac gentium: Et simplicitatem disertam doctrinae seruando, uitauerint uerborum mirificas nouitates, ad destruendum non edificandum idoneas. Qui cum etiam habuerint honorem, quem par esset & equum, principatui & potestati terrena. Et e contrario exploretur: Quinam aliunde aduenerint, & sese in rerum maximarum tractationes & administrationes, quocunq; proposito atque pacto, insinuaerint, nullo caritatis uinculo alligati: Et nacti opportunitatem ne occultare quidem insidias fraudemq; potuerint: Alienatione autem apparente atq; uulgata, suo etiam cum damno non dubitarint, nos, a quibus dissiderent, affligi studere. Qui tempestatis murmure audito statim auolarint, sicut Chaonia, secundum Poetam, aquila, ueniente columba, & alium tutiorem nidum infederint. Quinam, ut eis a quibus discesserant, nocerent, ab hostibus manifestis adiumenta quaesierint. Qui nullam quietem, quamuis & cum pietate erga Deum, et cum honestate ad homines coniunctam, & in qua necessariae quarundam questionum explanationes suscipi possent, conseruandam sibiq; sustinendam putarint: Omnesq; occasiones aucupati sint ad turbandum, & negotijs, rebus, temporibus confusis obtrectandum pijs, bonis, utilibus consilijs actionibusq; & salutaribus progressionibus inceptorum laudabilium

his doc.

dabilium inferendum impedimenta, confictis etiam ridiculis nominibus & appellationibus nugatorijs, & probris scurrilibus illatis, ut ad uulgus nihil omnium istorum intelligens aliquorum fama quasi cœno obliueretur. Nihil dico de impura maledicentia & classis seditionum? Nihil de superbo contemptu Magnorum & principum uirorum? Præter illos, quorum Deus æternus, pietate, religione, uirtute, sapientia, ad gubernationem fluctuantis nauigij Ecclesiastici, in ijs undis (de quibus nunc orationi locus non est) uti uoluit: eorum quoq; quos certe idem Deus æternus Magistratus & Imperij honoribus & excellentia ornauit. Nihil de nefaria improbitate? quæ ab arrodendo Reuerendissima & illustrissima nomina mortuorum quoq; non abstinerit, uiolare conata acerbitate sæuitiæ sepultos. Alia quoq; qui tentarint patrauerintq; si placet, non inquiratur. Sufficiantq; ea quæ recensuimus, & iudicium fiat feraturq; sententia secundum hos aut illos, de factis, & non respiciantur personæ: ut iudicium iudicetur iustum, neq; perniciofa unicuiq; ipsi de altero sententia iniqua proferatur. In qua parte aut negligentia aut iniuria, aut præconceptis opinionibus, aut etiam maleuolentia peccantes, cum res neq; unius neq; parua, sed multorum atq; magna agatur, quam sententiam ab eo iudice, coram quo ad dicendam causam de actionibus suis, sese cogentur sistere uniuersi, conueniat ipsos expectare, ab unoquoq; cogitari, quam à me dici malo. Sed desino, in his enim esse nolo uerbosior, neq; loco neq; tempore hoc idoneo, & hætenus nos uulnera propria attigisse in præsen-

ga m
f bns
comj

4.26



tia ueniam mihi dari peto. Quam etiam consecuturum
me a uestra benignitate humanitateq; confido. Acci-
dit autem mihi quoq; id, quod fieri solere prouerbio
dicitur, ut ibi sit manus ubi doleat. Atq; redeo illuc
unde digressa est oratio. Non est cuiusuis hominis re-
rum diuinarum tractationem usurpare & sacrarum
literarum profiteri doctrinam. Sed uel hunc eximium
uirum & peculiari Dei uocatione electum oportet, uel
iudicio gubernantium ea studia & penes quos munus
istud est, probatum esse decet, & ordine atq; ratione
ad istam tantam functionem processisse conuenit, ut
quid, a quo, ubi, quando, quomodo dici, tradi, geri de-
beat constitutum ordinatumq; extet. Verum aliquis
negabit forte reclamet ex eorum numero, qui in hac parte for-
tiores uideri uolunt, & quaerat: Nunquid a nobis, de
Deo uerba fieri ab omnibus & ubiq; semper, impro-
betur, & imperetur ne de rebus diuinis silentium? De
quo igitur & quibus loqui potius Christianum homi-
nem par est. Aut quo pertinet affirmatio Dauidica?
Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus
eius in ore meo. Et quod beatus praedicatur is, cuius in
lege Domini uoluntas, & qui in lege eius meditatur
die ac nocte. Et alia plurima huius sententiae. Non di-
cimus ullum nos tempus locumue non esse opportunum
pijs Christianorum sermonibus. Immo hoc praeci-
mus: Vbiq; & semper hos habendos, & alios omnes
cohibendos esse, scurriles praesertim obscenos, leues,
futiles, maledicos, contumeliosos. Sed de difficilibus &
singularibus capitibus sanctae fidei, caute, considerate,
certis locis atq; temporibus, & ab hominibus delectis,
uerba

uerba fieri debere asserimus. Intelligi autem uolo ea
capita, de quibus altercationes ortæ pariunt contenti-
onum dissidia, unde secessiones atq; sectæ existunt. Vt
olim Arrianorum, uerbi causa, Eunomianorumq; &
Apollinarianorum, & omnibus ætatibus aliquorum ex-
citata & uentilata quæstiones Theologicae. Id quod
pleriq; & in ijs nos, cum maximis detrimentis opti-
mæ causæ, nunc quoq; accidere experimur. Adeo ut
Christiano etiam sanctissimo nomine posthabito, mul-
ta alia nomina, tum in laude tum in probro, usurpen-
tur. De quibus dolor quoq; & pudor plura me dicere
non patitur, & est ista miseria nostra nimis nota, &
foeditas quasi ulcerum, in conspectu omnium. Non
igitur uetamus de Deo & rebus diuinis differi, quæri,
disputari etiam. Non iubemus ueritatem premi silen-
tio, & tacendo obscurari. Loquatur immo clamet,
qui debet & scit, sed uera ratione & debito ordine,
suo loco. Non rixetur hic aut ille, pro eo atq; ira, o-
dium, inuidia instigauerit, Non litiget, non obstrepat
intempestiue, uel dubijs rebus, uel non necessarijs, uo-
ciferatione absurda atq; futili & nocente. Non decla-
retur ardor animi reprehendendo & confutando &
euertendo ea, quæ si cauillationes & calumniæ absint,
bene & præclare dicta, uel quæ certe, si assit caritas
commode interpretando, nihil habitura sint absurdi-
tatis. Neq; ego studium cognitionis sublimioris &
perfectioris improbo, sed cauendum censeo, ne quis in-
tempestiua elatione altius euolet, quam pro sibi natis
pennis, facultate, inquam, conditione, uocatione. Sed
progrediatur quisq; quo potest & debet, incessu mo-
derato,

derato, per eam uiam, quæ & disciplina legibus, &
morum honestate quasi strata est, neq; uacillando huc
& illuc declinet. Ne spernat despiciendo usitata atq;
communia, & exquirat scrutando noua atq; singula-
ria, quibus prolatis populari ipse aura longius pro-
uehatur. Prius sese aliquis nouisse ipsum laboret, quam
uel rerum aliarum scientiam profiteatur, uel de cæ-
teris hominibus iudicium faciat. Minime autem pro-
nus sit quisquam, ad cauillandum, obtrectandum, in
deteriorem aliquid partem rapiendum, nedum exqui-
sitis calumnijs deprauandum, & inimica sententia
condemnandum. Cur autem qui de altero pronunci-
at, non sese prius intuetur, & ueluti contemplatur in
eo speculo, quod habere ipsum quoq; putat Comicus
æquum fuisse, homines, qui perspicere possent cor sa-
pientiæ. Quid enim si is forte quem tu lippitudinis
nomine derides, te ipso uidet acutius? Quid si tu ocu-
lis captus es? Quid si in te uertiginis spiritus? Quid
si ignorantia tua est earum rerum, quas alios minus
intelligere arguis. Insectantur fictis quibusdam no-
stros aliqui nominibus, & eis infamiam aspergere co-
nantur. Ipsi uideri uolunt soli fulcire ædificium Ec-
clesiæ, uel supra fundamentum etiam præ cæteris ex-
truere fulgentia auro & gemmis conclauia, ordinis
& rationis custodiam, ad seruitutis ignominiam &
libertatis proditionem detorquent. Moderationem
uocant ignauiam, non procedere, sed excurrendo præ-
cipitare, laudant. Deniq; sunt ad omnia, quæ cum ti-
more & tremore, secundum Apostolum, pie & reli-
giose efficiuntur, in promptu illis hæc infamantia no-
mina.

mina. Neque quicquam suscipitur aut geritur apud nos, quod censuræ istorum notas effugere possit. Cum iste manipulus is sit, qui ueluti aper de silua, exterminat uineam domini, & tanquam ferus singularis depascit eam. Sed id nobis impedimento esse non debet, quominus in bona consciëntia pergamus modis omnibus rationem & ordinem conseruare, & dare operam, ne confusio, & ea, quam Apostolus ἀκαταστασία uocat, admittatur, utq; coherceatur licentiæ exultatio. Hoc uniuersitatum scholasticarum proprium est opus. In quibus & professiones doctrinæ sunt distinctæ, & in singulis tituli honorum propositi, ad quos gradibus quibusdam ascendatur, ut conficiendo præfinitum curriculum, & complendo summam studiorum, quid quique mereantur, plane possit deprehendi ac statui. Derideant hoc licet illi (qui subito in tertium celum euolaturos se esse putant, si modo alas mouere ceperint) Sicut faciunt, cum non etiam nulli contumeliæ maculas his actionibus aspergere conentur. Nos neq; scurrilibus dictis ipsorum, neq; impudentibus conuicijs impediri sinemus cursum rectum & uerum ad religionem, pietatem, cultum Dei, & humanæ societatis honestam & laudabilem consuetudinem. Atq; nunc eorum, qui producti paulo ante, & mihi commendati fuere, non solum diligentiam studij sacrarum litterarum, sed modestiam quoq; in hoc ipso exercendo euidentem atq; compertam probari, & ipsos ideo beneuolentia & fauore omnium comprehendi æquum est. Ac nos quidem in collegio Theologico, de præcipuis capitibus doctrinæ celestis interrogando, perspicue cognoui

ad.
732

cognouimus, eos dignos esse, qui ad initia professionis nostræ admitterentur. Idq; tametsi affirmanti mihi fidem facile haberi non dubitem, planum tamen factum esse confido, auditis ijs, quæ paulo ante singuli recitauerunt. Quos singulatim collaudare non uolo. Comuni autem prædicatione, uere perhibere possum, (Id quod ne ipsum quidem ulli ferè inexploratum est, & quo ueluti præconio ornari ipsi imprimis modo debent) Ad sacræ Theologiæ studium inde eos accessisse, unde oportuit. Id est post decursum spacium optimarum disciplinarum atq; artium: Eam autem egisse uitam, quæ & ipsis honestæ, & alijs gratæ probitatis laudem haberet. Spectata est pietas eorum erga Deum, reuerentia erga superiores, humanitas erga inferiores, erga pares comitas, sedulitas officiosa erga cunctos: Tū uero pacificæ coniunctionis animi imprimis cupidi. Id quod in omnib. communitatibus ad stabilem diuturnitatem plurimū habet momenti. Quæ cum ita sint, id deinceps, quod petitum initio, & nunc reliquum est, breuiter exequar. Quod igitur Deus æternus Pater Domini & saluatoris nostri IESU CHRISTI, largiendo sanctum Spiritum, feliciter euenire uelit, & euadere ad laudem & gloriam sanctissimi nominis sui, & Ecclesiæ in terris fructuosum usum:

Te Laurentium Rulichium Iuterbocensem.

Te Baltassarum Sartorium Osacensem.

Te Georgium Coberum VVerdensensem.

Te Nicolaum Screningum Senftebergen.

Te Zachariam Schilterum Lipsicum.

Vos

Vos inquam omnes & singulos, bonarum artium Ma-
gistros, more maiorum & consuetudine huius Aca-
demie, Bacularios sacrae Theologiae, ea autoritatis po-
testate (qua in hac muneris istius functione, praeditus
sum) facio, creo: Et de sententia Collegij Theologici
factos, creatos renuntio. Vobisq; permitto, ut sacram
Theologiam in publicis scholasticorum Vniuersitatum
catedris, docere incipiatis, & in hac docenda omne ius,
quod isto dignitatis loco constitutis debetur, tribuo
atq; confirmo: In nomine Patris & Filij, & Spiritus
sancti, ueri, unius, solius, aeterni, sancti, iusti, immor-
talis, misericordis Dei: cuius est regnum, potentia,
gloria, in saecula saeculorum. Eidem clementissimo
Deo, quas maximas possumus gratias agimus, quod in-
finita benignitate sua, contra omnem clam & palam
aduersantem nobis uim, defendit & protegit congre-
gationem nostram, & ad huiusmodi actiones ocium
nobis impertit, & frequentia nostra hunc diem cele-
brari clementer concessit. Et toto pectore precamur,
ut deinceps quoq; apud nos ueritatem celestis doctrinae
& praeconium Euangelij sonare uelit, pura & sincera
integritate: Et nos umbra alarum suarum tegere, &
omnem undiq; aggressionem impressionemq; hostilem
propulsare, ut quietam & tranquillam uitam aga-
mus, in omni pietate & castitate. Amen. Agimus &
subiectissima mentione ingentes gratias, illustrissimo
Principi, & clementissimo Domino patronoq; nostro,
Principi Electori Augusto. Cuius clementissimo bene-
ficio nostra Academia conseruatur tota, & in omnibus
partibus augetur ornaturq; respectu, illius excelsitate
digno,

digno, & munifica liberalitate, his temporibus congruente: Deumq; æternum ardentibus uotis imploramus, ut illustrissimam celsitudinem ipsius cum illustrissima domo uniuersa, misericorde manu sua perpetuo protegere, & benignitate immensa saluum incolu-
memq; in gubernationis diuturnæ felicitate, conser-
uare uelit. Agimus item gratias ex animo, Magnifice
uir Academiæ nostræ Rector, Magnificentia tuæ:
Vestræq; (amplissimi, clarissimi, ornatissimi, doctissi-
mi, humanissimi uiri, tam nostræ uniuersitatis quàm
externi atq; hospites) præstantiæ, dignitati, humani-
tati, cum præsentia uestra hunc conuentum celebri-
orem illustrioremq; reddere uoluistis, & collegij nostri
omnia officia, quæ diligentia operæ nostræ poterunt
præstari, uicissim offeruntur. A uobis autem, bona-
rum litterarum & artium studiosi adolescentes, rectè
& ordine factum est, quod frequenter hoc die & loco
conuenistis. Vosq; Collegio Theologico officium ue-
strum acceptum atq; gratum esse existimate, & ego
debitas huic uestræ diligentia gratias ago, Deumq;
æternum oro, ut ætatis uestræ cursum dirigat ad lau-
dem sanctissimi nominis sui, & Ecclesiæ Christi Iesu
incrementum, & Reipublicæ utilitatem, ue-
strumq; omnium salutem &
prosperitatem.

Dixi.

Carmen

2^a

DE DIGNI-
TATE STUDII THE-
OLOGICI,

SCRIPTVM IN HO-
NOREM REVERENDORVM

virorum, pietate, eruditione, doctrina & humani-

tate praestantium, ob operam navatam

ad professionem huius studij

admissorum.

Anno Christi

M. D. L X V I I.



4.26

Carmen Heroicum

DE DIGNITA
TE STUDII THEO
LOGICI.

TErribiles alij lituos, & tristia regum
Bella canant, fortesq; viros, qui mille pericla
Pro patrijs subière focis, quos gloria nullo
Pulsa metu, impanidos sublimibus euehit alis.
Hic canat optatae placidissima munera pacis,
Quo regere imperio, populos qua lege teneri
Conueniat, quæ cura duci sit maxima, regnet
Ut pariter princepsq; bonus, fortisq; cruento
Bellator sub Marte, suos tutetur in armis.
Naturæ uarios alij perdiscere motus
Nitantur, cœliq; uias & sydera dicant.
Incertis peragat cur Cynthia uultibus orbem,
Temporibus certis, roseo cur Phœbus ab ortu
Currat ad occiduas constanti tramite metas.
Quid quatiat terras, qua vi commota tumescant
Æquora, & insanos uoluant ad sydera fluctus.
Quid maris irati furias compescat, & unde
Compositi sileant tranquilla silentia Ponti.
Me uero nostris studia hæc celebrare camœnis
Fert animus quæ sola docent cognoscere, quæ sit
Æterni natura Dei, quæ certa uoluntas.

Quo

Quo cœlum, & mundi facies reuolubilis ortu
Cœperit. Hæc cunctis quæ celsior artibus una
Evoluit densis oracula mersa tenebris.
Est doctrina mihi cantanda, ô dicere promptus
Carmina digna quæ, certè est hæc carmine digna.
Hanc non Pegasides, non carminis autor Apollo
Principio exhibuit terris, aliquis iſte deorum
Vana superstitio quondam quos finxit, & aris
Innumeris dignata fuit, non clarus ab arte
Aonia, non vlla ducis sapientia magni.
Sed pater omnipotens, sed fulgida patris imago
Ætherei, consorsq; patris, natiq; uoluptas
Amborum, cœli superis è sedibus artem
Protulit hanc Deus, ille Deus, flammatis Olympi
Fornice qui rutilo templum suspendit, & imam
Tellurem pelagusq; unum sinuauit in orbem.
Quo montes tangente fremunt, quo territa tellus
Concutiente tremit, quo sic mandante, quieuit
Instabilis fluctus inter maris optima tellus
Ingenti stabilita manu, per numina cuius
Conspicuum seruat pulcerrimus ordo decorem.
Hic Deus arcana cœli de sede, benignis
Aspiciens oculis hominum genus, edidit ultro,
Doctrinamq; dedit miseris mortalibus istam.
Ergo alij tectas nature inquirere partes
Desudent, certis labentia motibus astra
Aspiciant, & magna sibi præconia querant.
Non tamen hoc studium doctrine spernere sacra
Sint ausi, nobisq; oracula sancta relinquunt.

F Certo

4.26



Certe ego, sollicitè si pectore cuncta sagaci
Scrutatus fuerim, latus quaecunq; triformi
Mundus habet gremio, nō hæc tamē omnia sancta
Contulerim huic arti, nec me si doctus Apollo
Insignem rerum multarum fecerit arte,
Crediderim idcirco dici me posse beatum,
Ni fulgore meum lux hæc clarissima pectus
Irradiet, dubioq; mihi vestigia firmet.
Quippe omnes, vulgus quascunq; amplectitur artes,
Eximia quamuis semper, dum sydera mundo
Lucida voluentur, merito sint laude canenda:
Non diuina tamen tibi pandere dogmata possunt,
Non monstrant, qua lege velit regnator Olympi
Agnosci, quem de ferri sibi poscat honorem,
Aut quæ sydereas nos semita ducat ad arces
Corporis exutos vinclis: Tantumq; caducæ
Præsidium vitæ præbent, paucisq; virorum
Illarum exiguam licuit cognoscere partem.
Hæc vero cunctis veneranda scientia seclis,
Commoda non fluxæ venatur inania vitæ,
Non ea diuitijs, non illa fugacibus umbris
Incumbit, tantis studijs quæ plurima vulgus
Sæpe petit, tenebras sed mentis sola resoluit,
Errorumq; fugat nebulas, oculosq; recludit
Luminibus puris, puraq; in luce videndum
Exhibet una Deum, veluti cum nube laborat
Sol oculus mundi cæca, mox nubibus attris
Exiit, & toto nitidissimus orbe resulget.
Sola docet, quanto nos complectatur amore

Ille

Ille parens, quem syderei tremunt omnis Olympi
Turba, quibus clemens nos undiq; & undiq; cingat
Præsidijs, artemq; ob eam de pulvere terra
Factus homo est, ut summa Dei miracula discat,
Præsentemq; illum videat, compagine mira
Qui sic mortales formavit corporis artus,
Particulam & nobis diuinæ insenerit aura.
Ergo tibi seu iura placent, legesq; salubres.
Sive potestates herbarum, usumq; medendi
Scire iuuat, facilisq; dedit tibi Phœbus Apollo
Arte Machaonia pallentes tollere morbos.
Seu graue Martis opus, lacrimosaq; bella gerenda
Sunt tibi, Pieridum seu prosperiora sororum
Signa sequi cura est, valida seu munere diuinum
Sceptra manu tenuisse datum est, populosq; tueri
Subiectos, armisq; duces frenare superbos:
Si non illa tuam diuina scientia mentem
Illustrat, claraq; tibi dat cernere luce
Maiestatem opes, nil te vigilasse Camœnis
Proderit, aut tantis opibus fulsisse decorum.
Nam seu veliuolis aliquis vada salsa carinis
Tentet, & accedat vaga per commercia gentes
Longinquas, tumido iactetur saepe profundo,
Ditibus ut gemmis bibat, aut ut lectulus illi
Sternatur Tyriaq; rubens testudine, & auro.
Seu quem sacra fames auri, laudisq; cupido
Blanda rapit, nec fessa sinit dare lumina somno:
Hæc doctrina tamen cunctorum extrema laborum
Meta sit, hæc statio tuto placidissima portu

Accipiat fessas naues, placideq; recondat.
Quod nisi cunctorum, que pectora cunq; uoluntant,
Hæc ars principium est, si non conatus ad illam
Tendit, & inceptum si non hanc respicit omne,
Heu mihi, quot miseros sistunt incommoda circum
Terrigenas? nihil est tunc tristius unquam,
Et soli ex cunctis sunt planta miserrima rebus,
Quotquot agunt fragiles morituri corporis artus.
Quippe tibi quid profuerit, si cuncta gubernes
Solutus & ingenuas nullus te doctior artes
Cognorit, nec plura animo documenta capaci
Condiderit, fueris si gemmis diues, & ostro?
Si tamen interea summum agnouisse parentem
Nulla fuit tibi cura, nihil portabis ad Orcum
Nudus, & ingratis heredibus omnia linques,
Cum semel, humanis precibus mansuescere surda,
Mors gelidã dextram iniecit, quin tristia pendes,
Ad Phlegethontis aquas ob noxia crimina uite
Supplicia, haud ullis unquam cessantia seclis:
Te nisi cognitio diuini numinis alma
Sustentat, nisi firma tibi solatia dicit,
Spiritus excedens cum frigida membra relinquit.
Hæc igitur merito summa est sapientia, summa
Cognitio, qua terra nihil, nihil igneus æther
Maius habet, quæ sola D E I miracula pandit.
Felices animi, multum sudoris in illa
Qui ponunt, nullosq; die noctuq; labores
Effugiunt, hanc ut solam cognoscere possint.
Non hos ambitio, non impius ardor habendi

Fregit,

Fregit, & elato tumefacta superbia vultu.
Discussere vagas caeco de corde tenebras,
Et se diuinis vouerunt cultibus omnes.
Regia fulgentis sic scanditur ardua caeli,
Sic post fata uenit magnū & memorabile nomen.
Tuq; o saepe mihi reuerenda scientia salue,
Pax animae, quae tela fugas inimica colubri
Tartarei, cordisq; aegri fera vulnera sanas.
Optima tu requies mentis sua crimina fassa,
Tu medicina venis, tu nos abducis ab umbris
Infernis, caeloq; locas, letisq; piorum
Inseris ordinibus, tu mortis lege solutis
Concilias nobis aeternae gaudia vitae.
O me felicem, suprema ubi venerit hora,
Sola meam firment tua si solamina mentem.
Non mihi maluerim, quicquid felicibus aruis
Nascitur, Eoi quae gurgitis unda rubescit,
Extractum nec me Pario de marmore bustum
Fuerit, aut Tyrio saturata murice vestes:
Hanc artem certe nascentis origine mundi
Primus Adam docuit, persusus flamine sacro,
Tunc cum rideret facies pulcerrima mundi,
Nec dum seua mali labes inflicta quietas
Turbaret mentes, nec vindicis ira Tonantis,
Ob peccata viri, iustos conceperat ignes.
Tunc bene cernebat vestigia letus Adamus
Praesentis manifesta DEI, siue ille rotatum
Miratus fuerat rapida vertigine caelum,
Seu varias telluris opes aspexerat, illic

Qualibet herba Deum rebus monstrabat adesse.
Et doctrina quidem hæc sese extendisset in omnes
Quadrifidi mundi partes, qua surgit ab undis
Phœbus, & Hesperias qua sese condit in undas:
Si non (ah animus tanti meminisse doloris
Formidat, lacrimæq; genis labuntur oborta)
Si non illa foret diræ contagio labis,
Fraudibus ab Satana si non deceptus Adamus,
Fregisset superi mandata tremenda parentis.
Nunc vero despecta iacet, vix vixq; remansit
Notitiæ pars parua Dei, quæ clarior artes
Exuperat, quæ sola potest sapientia dici.
Quantulacung; tamen nobis doctrina remansit,
Æterni miranda Dei consulta recludens,
Illa tamen seruata fuit, (sit gratia Christo)
Perq; manus nobis est tradita, turbida quamuis
Regna furor Martis concussit, & undiq; flammis,
Undiq; luctifica fremuerunt cæde Tyranni.
Non oppressa premi potuit, per damna, per ignes,
Succreuit, cæloq; caput super extulit alto.
Sint artes igitur pulcerrima cura doloris
Tabifici, mæstosq; leuent, & vulnera mentis
Languentis recreent, plebisq; ducumq; medela:
Non tamen his ausint studijs componere sese,
Commonstrant quæ sola viam, quæ ducat ad axes
Æthereos, quæ sola queunt ea munera nobis
Reddere, quæ quondam stygijs fraus abstulit hostis.
His quondam freti, primo tempore patres,
Sydereas tetigere domos, sedesq; beatas

Elysij,

Elysi, cœtusq; pios, ubi sancta quietis
Maestas animis patitur se lumine tangi.
Tantum laudis habet sola illa scientia, & artes
Infra se positas sic despicit altior omnes.
Ergo prius versis prepostera legibus ibunt
Omnia, parsq; suum servabit nulla tenorem.
Eurus ab occasu, Zephyrus spirabit ab ortu,
Et calidus Boreas, & sit gelidissimus Auster,
Qam tua, que fessis firmissima gaudia portas
Mentibus, ô doctrina Dei de sede remissa,
Nomina sub tenebris taciturna silentia condant.
Posteritas te longa canet, semperq; verendum
Nomen erit, laudesq; tuas non ulla tacebunt
Tempora, nec seris venientia secula seclis.
Ipse quidem donec iucundum lumen, & auras
Aspiciam, & tacito stimulabor pectora motu,
Te sermone meo, memori te corde sonabo.
Nec, quia condis opes nullas, nec quæris inanem
Spem laudis, tituliq; decus, te spernier æquum est.
Ille graues, quicumq; solent venisse, dolores
Sentiât, & semper nulli miserandus oberret,
Qui tantum fluxis audet se credere tuta
Mente bonis, tantumq; inhiat fallacibus umbris,
Diuitias magnas rutilo ut sibi congerat auro,
Et longo teneat ditantes ordine sulcos.
At quem Parnasi deserta per ardua dulcis
Raptat amor, releuare cupis qui guttura fonte
Aonio, Phœbumq; sequi, doctasq; sorores:
Hos ne sperne, graui sublimia pectore spirans,

Qui sacra diuini spargunt oracula verbi,
Verum illis concede loco, meritisq; celebra
Laudibus hos semper, sic clarum nomen habebis,
Sic optata tuis spirabit puppibus aura.

At vobis, hodierna quibus lux premia vestro
Digna labore tulit, nullum moritura sub æuum,
Insignes pietate viri, donisq; verendi
Aonidum, quorum placidissima pectora Phœbus
Excoluit, diuæq; domum legere nouena,
Gratulor ex animo vobis hunc laudis honorem
Eximium, votisq; Deum precor, atq; precabor,
Ut vobis placidus sanctissima cæpta secundet,
Pectoraq; illustret diuini flaminis aura,
Ut, bene cæpistis quò recto tendere cursu,
Perficiatis iter, merito ut celebrentur honore
Nomina sancta Dei, tuq; ô Deus annue votis
Talibus, & voces non auribus accipe surdis.
Annuit, en surgit melicri lumine Titan
Purior, & cælum discussa nube serenat,
Et placide vobis gratantur euntibus aura.

Tu vero, qui prima tenes loca, in ordine primus,
Culte mihi, semperq; loco mihi patris habende,
RYLICH I salue, & leto cape munera vultu,
Quæ tibi per duros veniunt quesita labores,
Nam quanto fueris veneratus amore Camænas,
Leucoree, rapidus quam præterlabitur Albis
Testis erit, testis Phylire, quam flumine pingui

Alluit,

Alluit, & ripis formosus Elisther amœnis,
Urbs Phylire, tales tibi quæ persoluit honores.
Tu mihi cœnanti doctas inquirere Musas,
Per loca senta situ commonstras sedulus acri
Mente viam, quæ verticibus me sistat in illis,
Bellerophontei qua præpetis humor oberrat.
Pro quibus officijs me nulla redarguat ætas
Immementem, citiusq; suum conuersus Elisther
Ad fontem deuoluet aquas, quam munera tanta,
Inuida de nostro tollant obliuia corde.
Diuina pergas scrutari dogmata lingua:
Sic tibi contingent illustris nomina fame.

Nec tu carminibus venerande tacebere nostris
SARTORI, cui sorte locum dat palma secundū
Ingenuas quantum dederis sudoris in artes,
Simplicitas, mitesq; docent sine crimine mores.
Sæpe dies memini studijs te impendere totos
Dulcibus, & vacuas somni traducere noctes.
Tu mihi Pegasidum fontem sacrosq; recessus,
Tu puero bifidi montis iuga frondea primus
Monstrasti, teneriq; rudes fidissime mores,
Ad placidos studijs formasti mollibus usus.
Ergo quod Aonio licuit mihi pellerè dulcem
Fonte sitim, pectusq; sacras ornare per artes:
Me fateor debere tibi, semperq; fatebor,
Dum memor ipse mei, dū spiritus hos reget artus.

Tu quoq; letus ades COBERE, & sacra Thalia
Accipe quæ tribuat pulcre tibi munera laudis.

F 5

Prouida

4.26

Prouida te virtus, te flore nitentior omni
Extollit candor, verum, pietasq³, fidesq³
Regnat in egregia sinceri pectoris aula.
Et nunc, imposuit tibi quod Deus arbiter aui,
Fer patienter onus, multosq³, ad sancta vireta
Elysi, cœlumq³, voca, sic morte solutus
Sedibus æthereis Phœbæ lampadis instar
Fulgebis, ceu luna nitet sub nocte serena.

At cui quarta tulit nitidã fors ordine palmã,
SCHREINICIVM, vident ut veneranda
modestia cingat,

Ex oculis pietas, ex fronte relucet honestas,
Fortis & in pulcro residet constantia vultu.
Maacte vir ingenio, vir relligione fideq³,
Prestans, sis animo firmo, cunctosq³, labores
Exupera, contraq³, tuos audacior hostes
Surge, tuis ceco stimulo qui laudibus obstant.
Sic victor populi euades, sortisq³, procellas,
Numine diuino tutus, superabis acerba

Exin **SCHILTERVM** vera super æthera
Relligionis amor, simul incorrupta, seueræ (tollit
Iusticiæ germana fides, non ille sorores
Contentus coluisse nouem, nec cuncta volucris
Percurrisse animo, quæ machina dedala mundi
Cumq³, volubilibus latè complexibus ambit:
His super adiecit diuinæ dotibus altas
Cognitionis opes, totum & se tradidit illis,


Diuini

Diuini scrutans arcana volumina verbi,
Illius idcirco tunc fama sepulta iacebit
Sub tenebris, quando natura fœdere rupto,
Mœnalis occiduo se tinget in æquore stella.

Hæc sunt quæ vobis doctissima turba dicant
Carmina, quæ crescens nobis dictavit Apollo,
Illa quidem Cyrrha procul & Permesside lympba,
Quæ si parua nimis sunt, vt sunt, altera quondam
Scripta dabo, quæ digna virum sint auribus, ista
Attamen interea non dura sumite mente,
Muneris instar erit, si carmina nostra placebunt.

Johannes Ixenschmidt
Denstatinus.





Yc 1214d

ULB Halle

3

000 979 325



M. C.

Inches
Centimetres

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black

2. 11. 20
O
N^o
H E-
H O-
anti-
co-
æ

Handwritten:
L. 420.
4, 26.

IS, 1725.

4, 26